

Obse:

Observatorio de Marina
BIBLIOTECA

Núm. :

Secció:

Carpeta:

Estante:

Tabla:

Tomo:

Núm. 07859







OBSERVATORIO DE MARINA
DE
SAN FERNANDO.



I

CORNELII

WYFLIET LOVANIENSIS,

DESCRIPTIONIS PTOLE-
MAICÆ AVGVMENTVM,


SIVE

OCCIDENTIS NOTITIA.

INCERTAM & fluctuantem adhuc
de situ orbis doctrinam Claudius Ptole-
mæus geographorum princeps, emenda-
tis aut correctis Marini Tirii, & priorum
5 traditionibus, adiectis insuper certis longitudinis & la-
titudinis notis, primus ad rationalem modum redu-
xit, & quàm potuit cōmodissimam luculentissimam-
que posteris terræ cognitæ descriptionem reliquit. Sed
cum historiis fidisque nauigantium narrationibus de-
10 stitueretur, descriptionem suam octogenis latitudinis
partibus conclusit, neque vltra centesimum octogesi-
mum longitudinis gradum extendere potuit, quod an-
tiquitas existimaret, residuum, oceano, aut terrâ inco-
gnitâ claudi; multisque seculis rata stetit Ptolemæi sen-
15 tentia, donec patrum nostrorum memoriâ, Castella-
ni in occidente novas terras inuenêre, & Lusitani om-
nibus

*Ptolemaica
descriptionis
termini.*

*Composita
et descripta*



2 DESCRIPTIONIS PTOLEMAICÆ

nibus Africæ littoribus superatis, oriëntalem Asiæ partem continuis nauigationibus detexere: tū demum inueteratus priscorum error deprehensus, & immensa patuit detecti machina mundi, tum certatim pleræque gentes superatis nouis incognitisque maris tractibus, 5 ad inaccessos antea populos, ingenti ausu penetrarunt. Phoenices olim ante bis mille ānos & vltra, Hispanias classibus adiere. Carthaginenses similiter nauigatione ad Austrum extra columnas Herculeas institutā, nouas terras inuenere, sed illæ nauigationes exiguæ aut 10 statim intermissæ; Hispanorum & Lusitanorum nauigatio, toto iam seculo, annuis classibus frequentatur, nouosque indies populos detegit aut domat. Aliæ nationes parum foelici successu idem aliquando tentarunt, quando eiectæ profligatæque victricibus Hispanorum 15 armis, vacuam illis horum regnorū possessionem relinquere. Sed quia pro complemento nostri Ptolemæi, ignotarum & nuper repertarum terrarum descriptionem institui, non abs re fore arbitror, rem ab exordio repetere, nā cognitio rei tam memorabilis, narratio- 20 nem mihi videtur exigere pleniorē, propterea quod harum terrarum detectio, prioribus omnibus memorabilior fuerit, & utilior. Tantæ expeditionis Dux & author fuit Christophorus Columbus, vir omniū sæculorum memoriā dignissimus: Quem benignā salu- 25 tarium syderum radiatione natum esse, existimare fas est, vt præfulgidū iubar nasceretur seculo nostro, quod priscorum heroum Herculis & Liberi patris famam obscu-

*Christophorus
Columbus.*

obscuraret, quorum memoriã grata olim posteritas,
 æternis literarum monumentis consecrauit. Christo-
 phorus Columbus natus in Cucuriensi, seu vt alii ma-
 lunt, aspero ignobiliq̃ue Arbizolo Liguriæ vico, à pri-
 5 mã adolescentiã diuersis nauigationibus exercitus, re-
 lictã patriã in Lusitaniam, aut, vt alii volunt, Made-
 ram commigrauit, vbi conficiendis hydrographicis
 nauigationum membranis, præcipue littoralis Africæ
 oræ (quæ tunc temporis nondum satis cognita erat)
 10 nauigantibus operam dabat, cùmque extra columnas
 Herculeas nauigans, frequentiores occidentales vêtos
 obseruasset, reputans secum ventos venire ex terrestri
 aliqua orbis parte, quæ nisi in illo cardine extaret, nulli
 vnquam ab occasu spirarent, quæ ipsi in occidente ter-
 15 ras esse coniiciendi, quod res ipsa docuit, vera fuit ratio.
 Fortè sub id tēpus nauis ex Hispanico littore anchorã
 soluerat, quæ oceanũ ingressa, improuisã orientalium
 ventorũ procellã post aliquot dierum iactationē ad ter-
 ras quasdã incognitas delata est. Nauclerus reflãtibus
 20 secundis ventis, amissis penẽ omnibus naualibus sociis,
 quos aut fames, aut morbus absumpserat, in reditu à
 Columbo perquã humaniter hospitio exceptus, eidẽ
 totius nauigationis seriem exposuit, terræque incognitæ
 ad quam procellis abreptus fuerat, gradum & paral-
 25 lellum indicauit, ac nauigatoria membranæ adscribi
 curauit, sed gubernator ille siue nauarchus, lōga iacta-
 tione aliisq; incommodis fractus post paucos dies ex-
 cessit è viuis, relinquẽs aliis materiam immortalis glo-
 ria: hæc

*Columbi pa-
tria.*

*Prima Occi-
dentis notitia.*

DESCRIPTIONIS PTOLEMAICÆ

4
 riæ: hæc prima occidentis notitia, sed pressa est satis in-
 signis facti gloria, quod neque naucleri vsquã nomẽ ex-
 tet quo eius memoria posteris cõmendaretur: fama est
 fuisse Andalusium, Cantabrum seu Biscainum alii fuisse
 tenet. Exinde Colibus incensus rerum nouarum studio, 5
 spes nouas agitare, & cupidine visendi parallelum in-
 cognitum duci coepit. Genuensibus itaque suis (qui om-
 nia quondam maria peruagati præclaram maritimæ
 rei opinionem reportarant) primùm rem aperit, affir-
 mās si nauibus instructis iuuaretur, se extra Herculeas 10
 columnas, vltra occidentem solem ad aromatum au-
 rique feraces terras perrecturum, sed Genuensibus hæc
 omnia (vti erant) noua, & in illum vsque diem inau-
 dita, etiam impossibilia videbantur. Ideoque Colubi
 petitionem rationibus quantum videbatur non subni- 15
 rentem, tanquam ridiculam reiecerunt; quare concep-
 tus consilii que sui perficiendi spem in aliis ponens quid
 tamen faceret incertus hærebat; nam Portugaliæ Rex
 Africanis rebus implicabatur, & Castiliæ Reges Gra-
 nateni bello impediabantur: quòque ardentius profe- 20
 ctionem animo voluaret hoc in incertum magis im-
 plicabatur, recordatione suæ tenuitatis, sentiens siue ad
 instruendam classem, siue ad demerendam externi
 Regis aut purpuratorum gratiam, minùs sibi potētiae
 viriumque superesse, quàm destinatæ profectiois & 25
 diuitiarum quas animo præceperat magnitudo depos-
 ceret. Inter has cogitationes ad Henricum septimum
 Anglorum Regem, qui tum opum opinione cæteros
 anteibat,

Columbi assidua & constans sollicitatio.

Columbi desiderium inquirendi nouas terras.

anteibat, & pacificè sine vllis bellorum motibus, regnum moderabatur, Bartholomæum fratrem misit, qui pro detegendo occidente subsidia peteret; cumque ab Henrico nihil impetratum esset, Alphonsum eius nominis quintum Lusitanæ Regem, eodẽ consilio adiit, sed nihil hic quoque perfici potuit, propter pertinaces cõtradictiones doctoris Calciadigliæ Episcopi Visensis, & Magistri Roderici, qui tum celebres cosmographi apud Lusitanos habebantur: nã cum cosmographiæ sese omnes partes adamussim tenere arbitrarentur, veterum erroribus insistentes, negabant in occidente aurum, vniones, gemmas, aut aromata prouenire, ridiculum & temerarium esse asserentes, existimare in vacuo terris occidente, inter continui vastique æquoris fluctus, quidquam eorum quæ Columbus promitteret inueniendũ. Columbus hac spe deiectus in Hispaniam contendit, communicatoque negotio cum Martino Alonso Pinzonio nauarcho egregio, & Ioãne Perezio, fratre instituti sancti Francisci, Cosmographo perquam erudito, in suscepto sollicitationis consilio mirificè confirmatus est. Perezius hortabatur Henricum Cusmanum Medinæ Sidoniæ, & Ludouicũ de Cerdã Medinæ Coeli duces adiret, quãdo vterque in suæ ditionis portu, nauigia instructa deductaque habebat: Sed oblatam à Columbo conditionem, tanquam vana & inania afferret, respuere. Tandem hortatu Perezii Catholicos Reges adire constituit, quos Perezius huiusmodi nouis propositionibus delectari prædica-

bat, addidit & commendatitias ad Ferdinandum Te-
 leueram Reginae Isabellæ à cōfessionibus. Anno itaque
 à Christo nato octogesimo sexto supra millesimum
 quadringentesimum, Columbus porrectâ Catholicis
 regibus supplicatione, petiit ne tam præclaro suo voto 5
 deessent, fore enim (si classe & necessariis rebus in-
 strueretur) vt breui voti compos, in occidente trans
 noti orbis terminos, ingentia amplissimarum terra-
 rum spatia diuitiasque detegat: sed reges minùs quàm
 voto suo conueniret, aut rei magnitudo deposceret, 10
 attentos nactus est, quod Granatensi bello distineren-
 tur: nihil tamen remittens de solitâ diligentia, inuicti
 animi constantia propositum nauigationis consilium
 vrgebat, præcipuosque aulae proceres, quos apud re-
 gem authoritate & gratia pollere intelligebat, indies 15
 compellabat: sed vt erat alienigena, & humili veste in-
 dutus, vniùsque tantùm fratris obseruantia commen-
 dationi innixus, toto penè septennio exacto vorandis
 repulsis, aulicis risui esse cœpit, quasi inania meditare-
 tur, & pensi nullius foret, cœpitque petitio eius (vt ipse- 20
 met testatur in suis commentariis) in fabellam verti
 & conuiuuiis subseruire; quæ res illum supra modum
 sollicitum habuit. Iamque solus Alphonsus Quinta-
 uiglius præfectus magistris rationum, læguentem Co-
 lumbum sustinebat, & disputantem interdum de pro- 25
 fectione ad incognitas occidentis insulas, diuitiisque,
 quas animo conceperat, per iocum lubens audiebat.
 Perfecit tamen Quintauiglius negotio toties reiecto,
 & in

& in octauum annum extracto, vt Columbo patéret
 accessus ad Petrum Gonfalem Mendozam Archie-
 piscopum Toletanum, tum regii concilii Præsidem,
 cui cum cogitationes suas & antedicti naucleri casum
 5 aperuisset, efficacissimis in medium adductis rationi-
 bus ostendit, in occidente terras esse, & nonnullam
 de iis apud veteres, licet obscuram famam extare.
 Archiepiscopus Columbi rationibus expensis, eun-
 dem deduxit ad regiam audientiam, vbi re iterum
 10 ventilatâ & excusâ, benignius a Catholicis regibus
 quam antea proposita accipiebantur, spem facientes
 absoluto Bætico bello sese rem totam maturo consilio
 penitus discussuros: Inde rursus Columbo spes cref-
 cere & antiquæ cogitationes redire, iamque a Palati-
 15 nis à quibus vt homo vanus irrisus fuerat, suspici cœ-
 pit. Bætico bello finito, relatâ denuo re ad concilium,
 placuit ad instantiam reginæ Isabellæ, fortunam ten-
 tare, & Columbi ingenium experiri: Columbo ita-
 que Catholici reges gratiosè concesserunt decimam
 20 omnium bonorum, reddituum, & prouentuum, ter-
 rarum in occidente, sine præiudicio aut damno regis
 Lusitanæ (qui iam antea ad Austrum secundum
 Africæ littora nauigationem instituerat) per ipsum
 inueniendarum aut detegendarum. Liburnicam de-
 25 super vnâ & duas Celoces cum CXX. epibatis &
 propugnatoribus ad Hispalim probe instructas præ-
 buerunt, in quam rem (exhausto Catholicorum re-
 gum ærario, decennali illo Bætico bello) Ludouicus
 Sancti

Sancti Angeli eorundem regum Secretarius, prærogauit mille sexcentos ducatos Castellanos. Hic mihi pro se quisque animum acriter intendat, quàm laboriosa & difficilis fuerit Columbo huius expeditionis promouendæ sollicitatio, illud etiam aduertat, quàm 5
 exiguâ sorte & periculi pretio ingentibus quotannis pecuniarum accessibus regum Hispaniæ ærarium in immensum auctum creuerit. Lubet etiam illud considerare, finem Bætici belli initium fuisse huius expeditionis, quasi bonus & immensus Deus præteritos Ca- 10
 tholicorum regum decennali illo bello susceptos pro fide Christianâ labores, Indiarum adiectione remunerare, eiectisque idolis, illorum operâ Indianos ad suum cultum vocare destinauerit. Sed Columbus exultans cœpta hæcenus bene cecidisse, trium nauium 15
 classe primâ septembris, aut vt alii volunt, tertiâ Augusti anno post natum Christum millesimo quadringentesimo nonagesimo secundo, à Gadibus in altum prouectus, diu optatum iter ingressus est; vnâ nauium Martinus Alphonsus Pinzonius, alteram rege- 20
 bat Franciscus Martinus, ipse Columbus cum fratre suo Bartholomæo præfectus & nauarchus in prætoriâ naue substitit. Sic versus Canarias, quas antiqui Fortunatas dixerunt cursum dirigens, in Gomara harum vna aquatum descendit, vbi diebus aliquot substitit, 25
 vt nauales socios longiori itineri assuefaceret, & aliquâ quiete refocillaret: hinc flexis ad dextram velis sulcato per octo dies continuos versûs occidentem oceano,
 tanta

*Primum Columbi iter ad occidentales o-
 vas.*

tanta herbarum copia aquæ innatare coepit, vt per vi-
 ridantia prata ferri, & in herbido campo versari vide-
 rentur, quæ res vt insolita, nautarum militumque
 animos ita consternauit, vt dubitarent an vltius pro-
 5 grediendum foret. Sed Columbus suos exhortatus,
 spem illis fecit nullo negotio viride hoc æquor posse su-
 perari; promissa mox sequebatur effectus, sed nihilo-
 minus sulcando maria per plures dies, nullum vsquam
 10 terræ vestigium apparebat. Itaque Columbus conspi-
 ratione epibatarum nautarumque, desperatione lon-
 gioris & irritæ nauigationis, penè oppressus est. In-
 conditis naualibus clamoribus postulabant, dum com-
 meatus superesset, vela conuerti, & Hispaniam repe-
 15 ti, insanum esse vasti oceani (qui in infinitum pate-
 ret) penetralia referare ac naturæ claustra perrumpe-
 re velle, vniusque peregrini hominis temeritati om-
 nium salutem obijcere, & si sero poenitentibus rede-
 undum sit, non suffectura alimenta per ignota maria
 ventorum libidine errantibus. Sed Columbus sacra-
 20 menti militaris admonitos, de alimentis & commea-
 tu securos esse iussit, quando ad multos menses affa-
 tim adhuc suppeteret, tum vt erat disertus, multis ef-
 ficacissimisque rationibus ostendit quàm ignominiosum
 illis foret, si incertæ mortis metu, vacuis manibus ve-
 25 la Hispaniam versus conuertissent, vbi procul dubio
 temerariæ pusillanimitatis poenas darent, quin bono
 potius animo secum essent, & quod bene verteret
 coeptam nauigationem alacres ad optatum finem per-
 B ducerent

ducerent, vt voti compotes maximis præmijs aucti,
 triumphantes in patriam aliquando cum honore re-
 uertantur, ad se quod attinet, decretum sibi esse in
 hac expeditione mori, & nisi cum gloriâ domũ remea-
 re, si tamen perstent, & tantâ redeundi sit infania, 5
 petere sese vt coeptæ nauigationis cursum ad aliquot
 dies prosequantur, quod si nullæ interim vsquam ap-
 pareant terræ, sese in illorum gratiam quantumuis
 inuitum, conuersis velis in Hispaniam rediturum; ita
 pacatis naualium sociorum animis, nauigatio instituta 10
 rursus continuatur; sequenti die conspectis nonnullis
 auiculis, Columbus hoc pro rato propinquantis terræ
 signo tenuit. Postridie cum omnes intenti terrã oculis
 conquirerent, vndantem in aëre fumum conspexere,
 mox terram conclamant. Quis tamen prior terrã ad- 15
 uerterit, aut notauerit, incertũ est, & ad nostrum insti-
 tutum parũ momẽti habet, nam siue Columbus, siue
 Rodericus de Triana, siue nauta quispiam Lepiensis
 primus terrã in conspectu habuerit, satis est Colũbum
 totius expeditionis ducem & authorẽ fuisse. Visã terrã 20
 incredibili gaudio perfusi, more nautico, cæteris con-
 spectæ terræ signũ dedere, tum præ gaudio in lachry-
 mas omnes profusi, flexis genibus diuinas laudes inge-
 minarunt: gratiarũ actione peracta venerabundi Co-
 lombũ circumfistunt, dextrãque exosculantur, patro- 25
 num, parentemque appellantes, priorum veniã pete-
 bant: haud facilẽ omnium lætitiã expresserim, tum
 enim sibi quisque primum nasci, depositoque quem
 præ

præ oculis habuerat, mortis metu, liberiore aurâ frui
 videbatur. Tam letæ foelicitatis dies incidit in Nouē-
 bris vndecimū, dicti Anni millesimi quadringētesimi
 nonagesimi secundi, post centū dies quam ex Hispaniâ
 5 soluerant. Terræ itaque paulisper succedentes, appu-
 lerunt ad insulam Cuanabi seu Guanahani vnâ ex
 Leucaijs, quarum numerosa multitudo inter Cubam
 & Floridam occurrit. Hic in terrâ descendit Colum-
 bus, & erecto gloriosæ crucis signo harū nouarū terra-
 10 rum possessionē ad vsûm Catholicorū Hispaniæ regū
 sese capere testatus est. Inde Barucensem Cubæ insulæ
 portum tenuit, insulam Fernandinam nominauit, in
 gratiâ Ferdinandi regis. Cūque mare vêtis turbari, &
 stationem nauium infidam esse conspiceret, perpetuis
 15 prouectus Zephyris, ad insulâ ingētem Hayti, quam
 Hispaniolâ vocauit, delatus est. Portū quem primum
 subiit classis, in hodiernū vsque diem Regium vocât.
 Hic prætoria nauis scopulis illisa dehiscebat, sed accu-
 rētibus cymbis alterius celocis in aduersum littus om-
 20 nes incolumes euasēre. Incolæ ad conspectum classis,
 virorumque splendentibus armis in terram descendē-
 tium, vno agmine protinus ad mōtes, deuiasque syl-
 uas perfugēre; sed Hispani fugentium tergis insisten-
 tes, vnâ mulierum corripuēre, quam cibo potuque
 25 refectam, & veste donatam, Colūbus ad suos remisit.
 Incolæ hac aduenarum humanitate, & liberalitate
 prouocati, certatim ad littus decurrēre, & scaphis
 siue patrijs lintribus quas Canoas vocant, Hispanorū

*Primus Co-
lumbi in ter-
ram exscensus.*

*Hispaniola de-
tectio.*

naues circumuecti, nauium magnitudinem, Hispano-
 rum ornatum, & promissas barbas admirabantur.
 Hispani vicissim incredibili gaudio micantes in aures,
 aureasque armillas insularium contēplabantur. Cum
 que incolæ Hispanis aurum, aureaque emblemata
 haud grauatè adferrent; pro quibus vicissim cultellos,
 crepitacula, tintinabula, specula, & alia exigui mo-
 menti, gaudentes recipiebant; facilè, quod res erat,
 conijciebant, regionem auri venâ diuitem esse. Co-
 lumbus vigentibus hisce commercijs, fiduciâ plenus,
 cum aliquot Hispanis in terram exiijt. Hispaniola
 tum temporis quinque præfecturis tenebatur, Septen-
 trionali parti præerat Guacananarillus Regulus: is ve-
 nientem Columbum comiter excepit, inque fidem fu-
 turæ beneuolentiæ muneribus xenijsque vtrinque cer-
 tatum; Indiani mandato Cacici, scaphis suis mobi-
 lia prætorix nauis, quam scopulis illisam diximus, co-
 miter seruauère, adeoque benignè gentem hanc ad-
 uenam fouerunt, vt præsentire viderentur, sese ali-
 quando in huius nationis ius atque potestatem conces-
 suros. Ad vespertinæ cāpanæ pulsum Hispanos, Chri-
 stiano ritu genua flectentes, seque cruce signantes, ve-
 nerabundi imitabantur, & in genua prouoluti palmas
 iungebant, imitandi (vt reor) studio potius, quàm
 aliâ certâ causâ. Quantumuis non defint qui censeant,
 Indianos crucem multis temporibus ante Columbi
 aduentum in honore habuisse. Gomara libro. 3. cap.
 32. refert, apud Cumanos, Burgundionū, siue Sancti
 Andreae

Guacananarillus.

*Crucis venera-
tio apud Indos
ante Columbi
aduentum.*

Andrææ crucem in peculiari honore fuisse, quòdque
cruce sese munirent aduersus incurfionem Lemurum,
eàsque infantibus recens natis imponere consueuerint.
Quæ res admiratione digna quibusdam meritò vide-
5 tur, neque intelligi potest, quomodo eiusmodi ritus
apud homines syluestres inualuerit, nisi crucis hanc
adorationem didicerint à nautis, aut peregrinis, qui vi-
ventorum eò delati, longioris peregrinationis & erro-
ris tædio, in illis partibus perierunt, aut sepulti sunt,
10 sicuti nauarcho Andalusio, qui apud Columbum
obiit, proculdubiò accidisset, nisi rei maritimæ peritif-
simus, cursum, quem vi tempestatis abreptus tenuerat
obseruasset; cuiusmodi casu credibile est multos illic
sepultos, quos vulgus pelago haustos existimauit. Aliã
15 crucis adorandæ rationem, veròque propiorem Ac-
cusamilenses adferunt, qui per has quondam terras,
virum sole lucidiorem transisse, & in cruce passum,
sese Cabalics maiorum parentumque suorum relatio-
nibus, accepisse testantur. Vt ut sit, nullam veri simili-
20 tudinem habet, quod crucis adorationem à Carthagi-
nensibus mercatoribus, cum ante bis mille annos ex-
tra Herculeas columnas progressi, ad has terras dela-
ti essent, quidam manasse sentit: nam præterquam
quod Carthaginensium nauigatio non ad occidentem,
25 sed ad austrum directa fuerit, nullus tum ante natum,
passumque in cruce Christum Dominum, vsquam
crucis erat honos aut cultus; multò minus apud Car-
thaginenses, qui fontes & atrocissimorum criminum

*Hispaniola in-
cola Idolola-
tra.*

reos, in crucem agebant: nam & Hannonem Carthaginensium ducem, proditionis infimulatum, in crucem actum, classicorum historiographorum relationibus constat. Cæterum Hispaniolæ habitatores, vicinarumq; terrarum, Idololatræ erant, & gentilium more inanium deorum cultum cæci amentesque sequebantur. Iamque olim humani generis hostis misellis aliquoties prædixerat, venturam ex orientali mundi plagâ gentem, promissis barbibus, rutilantibusque armis conspicuam, quæ finem satanico suo imperio faciat, ablatumque indigenis imperium, vsurpet: horrendi huius carminis memoriam Indiani flebilibus elegis posteris mandarunt, quas statis, anniuersariisque festis lugubri querulâque voce occinebant. Sed Columbus omnis moræ impatiens, primo statim vere, in Hispaniam redire, & Catholicis regibus suæ navigationis successum referre properabat. Quapropter inito, aut renouato foedere cum præpotentibus insulæ regulis, arcem in littore ædificauit, cui Natiuitatis nomen indidit; relictoque Roderico de Arana Cordubensi ad arcis custodiam, cum octo & triginta militum præsidio, ipse assumptis secum decem Indis, cum duabus celocibus, & octoginta classicis militibus in Hispaniam velis contendit, foelicibusque Zephyris spatio quinquaginta dierum adnauigauit. Ferdinandus cum coniuge Isabellâ, Barcinonæ tum statiuâ habebat, eò Columbus terrestri itinere contendit. Quod vt difficile propter viarum tædium, & impedimentorum multi-

*Columbi redi-
tus.*

multitudinem, honorificentissimum tamen illi fuit,
 effusis non modò vrbibus, sed agrestium quoque turbâ
 ad famam sui aduentus concurrente, viâsque vndique
 obsidente. Stupebant ad nomen noui mundi, miraban-
 5 tûrque Indorum luteum colorem, psittacos, & auri
 pondus immensum, & quæ alia ferebant miranda, aut
 noua. Veniētem Columbum rex & regina perquàm
 honorificè susceperunt, & (quod aulicæ beneuolentiæ
 haud dubium est signum) in præsentia suâ sedere ius-
 10 sum magna attentione audiuerunt, quæ de nouis po-
 pulis eorûmque terris comperta memorabat, prola-
 toque auro, psittacis, alijsq; nouis, aut ignotis, summâ
 voluptate perfusi sunt; solum aurum extra nouitatis
 admirationem erat: immensum tamen auri pondo &
 15 illarum terrarum diuitem venam pariter laudabant,
 & admirabantur. Quatuor ex decem Indianis quos
 secum adduxerat Columbus, insoliti cœli mutatione,
 & maris nausæâ debilitati, in viâ fati concesserant; sex
 reliquos, Catholici reges cum Iohanne principe, festo
 20 ornatu, & solemnî pompâ lustralibus aquis admouē-
 re, ad initiandum in nouis hisce terris Christianæ reli-
 gionis cultum, conceptisq; votis, in omnibus regionibus
 quas ductu, auspicijsque suis in posterû detegi con-
 25 tingeret (extirpato abominabili idolorum cultu) Chri-
 stiana sacra, & veri Dei cultum sese introducturos
 professi sunt. Relatio Columbi, iussu regum Catholi-
 corum accuratè descripta, per celeres nūcios ad Alex-
 andrum sextû Pontificem delata, Pontificem, totûque
 Cardi-

*Indianorum
 primus baptis-
 mus.*

*Relatio aperti
occidentis ad
Alexand. pon-
tificem missa.*

Cardinalium Senatū ingenti lætitiā perfudit, mirabantur peregrinam & rarissimam eorum quæ afferebantur narrationem, mirabantur Hispanos ductu Liguris hominis eò potuisse penetrare, quò ne Romanorum quidem fama peruenire potuisset. Pontifex 5 hortatus Catholicos reges, vt religionis Christianæ terminos quàm longissimè proferrent, diuiso in duas æquales partes, ex arctico in antarcticum circulum terrestri globo, quidquid terrarum centum passuum millibus vltra Azores siue Flandricas insulas occur- 10 reret, totidémque à Gorgadibus capitis viridis insulis in occidentem procurreret, Catholicis regibus eorūque successoribus gratiosè concessit, dummodo à nullo Christianorum principum quidquam ex his terris possessum fuisset in festo natiuitatis Dominicæ anni 15 CCCC. XCII. tunc proximè elapsi. Catholici reges qui depulsis totā Hispaniā Numidis, Christi cultum in Beticā renouarant, intellecta Pontificis voluntate, nūc quoque pro eadem religionis fideique causa, classibus suis maria tentare, ignotāsque regiones procul à 20 nostro orbe remotas detegere, auitā nominis sui gloriā, tropheis que nuper partis dignum existimabāt, Columbū repetita nauigatione, ad occidentis insulas mittendum censuerunt; nihil itaque prætermittentes quod ad cultum decusque illius pertinere arbitrentur, insignibus, honorūque titulis auctum, & designatum Oceani Præfectum, Admirantis titulo condecorarūt. Bartholomæo fratri, Hispaniolæ insulæ 25 præfectura

præfectura honorifico Adelantadi siue præfecti titulo delata est. Magnus dehinc Columbus esse, & inter proceres suspici coepit, multusque ubique de illo sermo, dicentibus nonnullis Carthaginensium decreto prohibitam nauigationem ab illo inuentam, alij augurabantur illum ad ingentem Platonis insulam (quam tamen in Critiâ perijisse, & submersam scribit) peruenisse, nonnulli Senecæ vaticinium quod poëtico oestro in Medeâ effuderat, à Columbo adimpletum, haud inaniter testabantur, & mirabantur. Columbo itaque decretæ sunt naues septendecim, inter quas liburnicæ tres, & celoces, siue Carauellæ quatuordecim erant, cum mille ducentis propugnatoribus. Expensis regijs comparabantur equæ, vaccæ, tauri, sues, asini, capræ, & alia vtriusque sexus animalia, ad foeturæ propagationem illis in partibus procurandam. Aduexit etiam omnis frumenti generis grana, hordeum, triticum, frumentum, vites, saccari cannas, & alia leguminum, & plantarum genera, quæque alia necessaria ad ædificandum, & sustinendum impetum quorumcumque aduersantium. Decreto regio ultra milites, classiariosque, additi & Euangelij præcones duodecim presbiteri, viri pij & litterati, quibus præerat Frater Buyl Catelanus, ordinis Sãcti Benedicti, in occidentis partibus vicarius Summi Pontificis. Ad huius classis, nouarumque terrarum famam, multi viri nobiles exciti accurrebant, multi insuper mechanicorum operum arufices, Columbum hac

Secunda Columbi nauigatio.

C

nauigatio.

nauigatione sequuti sunt, opinione ingentis compen-
 dij, quod quisque (vt vasta omnia sibi proponit huma-
 nus animus) exigui temporis curriculo facilè sibi pro-
 mittebat. Classe instructâ, Columbus vela secundis
 inflantibus ventis, Feritam Canariarum vnâ præ-
 teruectus, cursu æquinoctialem propiùs directo, Desi-
 deratam siue Deseadam Antillarum vnâ, post
 vnus & viginti dierum nauigationem, in conspectu
 habuit: enauigato que harum insularum archipelago,
 nusquam descensione factâ, breui Argenteum Hispani- 10
 niolæ, indè Regium portum tenuit. Sed longè alio
 atque crediderat statu omnia inuénit, nam Indi His-
 panos ad vium omnes trucidarant: dolorem quem
 ex illorum morte concepit, excusante sese Guacana-
 rillo, egregiè dissimulauit, egressûque in terram facto, 15
 Isabellam in gratiam Reginae Isabellæ (quæ haud
 obscure huic nauigationi fauerat) Coloniam deduxit,
 detectisque auri fodinis Cibanijs, duodecim celo-
 ces inulto auro nouisque & incognitis rebus graues in
 Hispaniam remisit. Munimentum deinde diui Tho- 20
 mæ extruxit, addito præsidio ad defensionem metal-
 licarum fodinarum, & Bartholomæum fratrem in-
 sulæ proregem reliquit. Ipse cum tribus celocibus,
 quærendis, detegendisque nouis terris intentus, mari
 sese comittens, sulcando Hispaniolæ extrema, Cubæ 25
 latus orientale attigit; cùmque occidenti hîc orientem
 coniungi putaret, insulæ initiû A. & O. vocauit. In au-
 strali huius insulæ latere Iamaicam vicinâsque insulas
 detexit.

*Isabella Colo-
 mia.*

detexit. De hinc Hispaniolam repetens, in ultimo occidentis angulo, commodum nactus portum, diui Nicolai nomine insignem fecit, ibique substitit, vt relictis è longa iactatione socijs nauibusque, expeditionem aduersus Caribes siue Canibales moueret. Sed ingenti febre correptus, profectionem hanc intermisit, & Isabellam se deferri curauit. Vt primùm à morbo conualuit, multos Hispanorũ aut infirmos aut mortuos, reliquosque contemptis & neglectis Bartholomæi fratris imperijs, tam foedè Indianos expilasse comperit, vt insulæ reguli arma circumspectarent, magnaque insularium pars agrorum cultum desereret, & nusquam semente factâ, in intimam insulæ partem secederet, vt Hispanos quos armis superare non poterant, fame subigerent aut expellerent. Columbus de noxijs supplicium sumpsit, regulosque ad officium reductos admonuit, ne agrorum, aut Maizi culturam omitterent, quando procurata hæc sterilitas ipsismet noxia foret, & magna illis postmodùm incommoda infligeret. Interim Columbo supra modum infensi erant milites, eumque vt crudelem & inhumanum, varijs rumoribus deferebant. Columbus vt maleuolorum delationibus occurreret, alteram versùs Hispaniam nauigationem parabat, iamque in anchoris stabat trium Carauellarum classis; sed tam foeda per eos dies nymborum ac turbinum oborta est tempestas, vt exagitato aëre cœlum terræ misceri videretur, pleno die densæ (quauis nocte obscuriores)

Columbus in Hispaniam reditum parat.

Tempestas horreda in Hispaniolâ insulâ.

tenebræ inuectæ, oculorum vsum ademerant, cum-
 que ingenti sono cœlum streperet, inter horrendos
 fragores crebri ignes cœlo disiecti ingentem populari-
 bus timorem iniecêre. Incumbentium furentiumque
 ventorum rabie, ædificia totâ passim insulâ disiecta, 5
 ingentiaque saxa à montium naturalibus crepidinibus
 auulsa, ingenti strepitu insulanorum militumque ani-
 mos pariter conturbabant. Hac ædificiorum villa-
 rumque strage multi mortales suffocati & oppressi.
 Incolæ tantâ tamque inusitatâ cœli inelementia con- 10
 sternati, derelictis mapalibus in montium & terræ ca-
 uernis sese abdiderant, multi mortales tenebris præ-
 occupati aut inuoluti, in agris errantes aut in domibus
 conclusi, cum totâ mansione, vi turbinum in sublime
 rapti, aquis absorpti, aut terræ illisi in frustra commi- 15
 nuti perierunt. Quibus malis victi aut inuoluti, mœ-
 stos planctus, & horrendos clamores per tenebras
 edebant, ingentiâque paucis horis, totâ Insulâ detri-
 mēta accepta sunt. Classis quoque quæ tutâ statione in
 anchoris stabat, vi tempestatis abruptis aut contractis 20
 retinaculis, littoribus impulsa, cum vniuerso nautico
 apparatu perijt, corruptoque commeatu, à fame etiâ
 Hispanis periculum imminebat, nisi peropportune
 diuino nutu naues ex Hispania commeatum abun-
 dē subuexissent. Sedatâ tempestate, incolæ, quique 25
 in montes propinquos aut cauernas perfugerant, sen-
 sim prodire, sed rei & periculi nouitate attoniti exani-
 matis similes, sese inuicem intueri, præclusisque præ
 timore

timore faucibus, vix animam trahere, foedæque tem-
 pestatis casum vnanimiter sed diuersis ex causis pro-
 babant, aut detestabantur. Indi extraneos idolorū suo-
 rū auxilio tota insula breui depellendos, taciti gauden-
 tesque meditabātur. Hispani verius reputabant præsti-
 5 gias Sathanæ esse, terras hasce deserentis, imperium-
 que in illis partibus abdicantis, propter Christiana sa-
 cra, baptismi vsum, sanctæque crucis in ijsdem exalta-
 tionem. Sed Columbus vt prima tranquillitas data
 10 est, resectâ & instructa denuò classe emensus Ocea-
 num, Calicium Hispaniæ portum, velis tenuit. De-
 hinc citis equis ad regē contendēs, detectas à se terras,
 foedæque tempestatis tristē casum recensuit, prolatif-
 que iudicialium actorum codicillis, conquistis obie-
 15 ctasque sibi æmulorum calumnias egregiè diluit. Fer-
 dinandus intellectâ rei veritate, & Admirantis inno-
 centiâ, actorumque iudicialium integritate, collau-
 dans Columbum, Macte, inquit, virtute esto, & con-
 ceptam omnium animis tam præclaræ expeditionis
 20 tuæ spem, quod bene vertat, ad finem perducito: ad-
 monens tamen subindè cum Hispanicæ nationis mili-
 tibus in transmarinis, & longinquis expeditionibus,
 remissâ aliquantum iudiciorum seueritate, leniùs a-
 gendum esse. Columbus assumptis Carauellis & ce-
 25 locibus duodecim quas Catholicorum regum sumpti-
 bus deduxerat ornaueratque, anno a nato Christo
 nonagesimo septimo, post millesimum quadringēte-
 simum, tertiam expeditionem Indicam alacer susce-

*Tertia Colum-
bi nauigatio.*

*Cubagua de-
sectio.**Paria regio.**Cumana regio.**Hispaniola
status turba-
tus.**Roldanus.*

pit, duabúsque celocibus præmissis, & recta Hispaniolam contendere iussis, ipse versús caput Viride cursum direxit. Indè ad occidètem nauigans, sub ipso penè æquinoctiali, calores, & pericula grauissima passus est, propter malacias, summámque maris tráquil-
 5 litatem. Tandem Indiæ continètem attigit, littoráque profequutus ad multum terræ spatium conuersis velis rectà Hispaniolá adnauigauit. Tertia hac nauigatione Cubaguam vnionum piscatione diuitem detexit. Cō-
 10 tinētis pars quam hac profectioe adiit, est Paria. Im-
 mēsi fluminis ostium hic subiens Colūbus, os Draco-
 nis nominauit, quod sinuosis vorticibus naues absorbe-
 re videretur. Subijt & Cumanæ regionis ripas, vbi co-
 15 miter exceptus, de vniuersâ vnionum piscatione cer-
 tior redditus est. Sed in Hispaniolâ omnia turbata con-
 sternatáque inuenit; nam & celoces duæ, quas præ-
 miserat, vt Xaraguam occidentalem insulæ partem
 tenuère, à Roldano Ximenio qui ibi tùm castra me-
 tabatur, pridémque ab authoritate gubernatoris re-
 20 cesserat, & haud obscure rebellarat, in partes tractæ,
 Bartholomæo Columbo opem ferre recusarāt: Rol-
 danum quoque comperit Incolas deprædatum esse,
 omniáque cæde & incendijs compleuisse; quibus ma-
 25 lis irritati Indiani, communi gentis consilio Hispanos
 insulâ depellere decreuerant. Sed Christophorus in-
 conditam gentem facilè subegit, & tributariam red-
 didit. Roldanum quando saniora consilia respueret,
 neque ab obstinatâ pertinaciâ resipisceret, in montes,
 auiásque

5 auíasque solitudines cōpulis . Roldanus interim apud
 Regem criminatus actiones Columborum , multos
 de fratribus rumores aduersos perscripserat, quod ho-
 mines Ligures Hispanico nomini infesti , crudeliter
 10 & auarè potestate supremâ abutebantur , Hispanicæ
 gentis milites pro re minimâ aut nullius momenti, vi-
 tã multantes , quodque aurearum fodinarum curam
 ablegatis Hispanis, exterorũ Ligurum suorum operã
 obibant, celandóque maiorem auri partem, fidelis-
 15 simos & benemeritos milites suo iure, ipsosque insu-
 per reges quintã vectigali fraudabant : quod Cuba-
 guæ detectionem non ex fide perscripserant, vt cir-
 cumuento per pactum rege, Margaritarum piscatio-
 nem sibi haberent, accumulatóque ingenti auri ponde-
 20 re, insulam suo imperio subijciant & regię coronæ
 bellum moueant; In hanc solam curam incumbere
 Columbios fratres , idẽmque simulatæ adumbratæ-
 que iustitiæ specie exequi cõsueuisse, leuissimis de cau-
 sis fortissimos viros licitorum securibus subijcendo, re-
 25 liquos quos dubijs subsellijs & iudicũ sententijs cõficere
 non poterant , periculosis desperatisque expeditioni-
 bus implicabant, vt Caribium telis confecti, & infan-
 dis crudelissimorum anthropophagorum faucibus dis-
 cerpti, in foedam ventris ingluuiem (quod fortibus vi-
 30 ris indignum) demitterentur . Sed hæc omnia falso
 afficta erant a Roldano eiusque sequacibus, dum ex-
 cusso iugo grassantur . Epistola Roldani magnum do-
 lorem Catholicis regibus attulit, & quãdo eodem tem-
 pore

*Criminatio
 Roldani ad Ca-
 thol. reges per-
 scripta.*

*Columbus cum
 regibus
 in Hispaniam
 venisset.*

*Quandũ
 Roldanus
 Caribios
 in Hispaniam
 adduxisset.*

*Christophorus
Bouadillus.*

*Columbus cum
fratre uinctus
in Hispaniam
mittitur.*

*Quandus His-
paniola presi-
ditur.*

*Columbus in
aula retentus.
Alphonsi Nun-
nij nauigatio.*

pore ex parte admirantis, de Roldani contumaciâ & apertâ rebellionē certiores reddebantur (properandum, & perturbatis insulæ rebus tempestiuè prospiciendum rati) Christophoro Bouadillo ordinis Calatrauæ militi, Hispaniolæ præfecturam demandant, addito mandato ut noxios puniret. Christophorus Columbus ut erat occupatus pacandis insulæ regulis, qui arma sumpserant, nescius eorum quæ aduersarij moliebantur, venienti gubernatori honoris officijque causâ obuiam processit. Sed Bouadillus Columbum cum fratre uincti, nauibusque impositos in Hispaniam deuehi iussit. Catholici Reges intelligentes Columbios fratres indignis modis uinctos adduci, per celeres nuncios, eorundem liberationem imperarunt. Columbus conquestus in primis de inhumanitate gubernatoris, deque vi & ignominiâ sibi, fratrique illatâ, rationem a se in Hispaniolâ gestorum retulit, innocentiamque suam regibus probauit, ut iam calumnijs petitos & penè oppressos à Roldano Columbios fratres appareret. ut tamen in posterum prouinciæ pax constaret, neue ulterius mutuis diuersæ gentis simultatibus turbaretur, abrogato Bouadilli imperio, Nicolaum Ouandum proregem Hispaniolæ miserunt. Columbum tamen per speciem honoris in aula retinuerunt. Alphonsus interea Nunnus & Pinzonij fratres à regibus adeundi inquirendique terras incognitas potestatem obtinere; edicto tamen proposito, ne quis intra quinquaginta passuum millia, Columbi nau-

nauigationes attingeret. Nunnus in altum prouectus,
 vt Indiæ continentem attigit, neglecto regio manda-
 to, Pariæ Cumanæ & Amaracapanæ sinus subue-
 ctus, ingentem margaritarum & vnionum vim retu-
 5 lit: Sed in reditu rixâ super vnionum partitione exor-
 tâ, cum vitato Hispalensi portu, in Galiciâ exscensio-
 nem fecisset, nauales socij in terram egressi, ad Fer-
 dinandum Vegam illius oræ præfectum detulerunt,
 Nunnum spreto regio m̄andato littora a Columbo
 10 antea detecta inuectum, regiâque vectigali quintâ de-
 fraudatâ, ingentem vnionum margaritarumque vim
 interuertisse. Præfectus Nunnum in carcerem conie-
 cit, vbi cum magnam vnionum partem consumpsif-
 set, vinctus tandem ad Ferdinandum regem missus
 15 est. Bouadillus accepto tam potenti successore, iisdem
 nauibus quibus Ouandus venerat, in Hispaniam re-
 dire constituit, cum Roldano veteranisque militibus
 quos catholici reges euocarunt, aut Ouandus, vt pax
 prouinciæ staret, & contentiones è medio tollerentur,
 20 remittebat. Sed coortâ ingenti tempestate, Bouadil-
 lus cum Roldano, & viginti quatuor nauibus, auri-
 que magnâ vi aquis hausti periére: perijt & ingens ille
 auri globus quem Petrus Martyr, termille trecentas
 & decem libras appendisse testatur. Catholici reges
 25 nunciato Bouadilli & Roldani naufragio, Colum-
 bum denuò ad detegendas terras misére, tribus itaque
 carauellis instructis anno à partu virgineo millesimo
 secundo post quingétesimum, occidentem versùs vela

*Bouadilli in
Hispaniam
reditus.*

*Bouadilli nau-
fragium.*

*Quartum Co-
lumbi iter ad
occidentem.*

D

inten-

intendit. Sed venientem Columbum Nicolaus Ouan-
 dus, Hispaniolæ gubernator, ciuitate portuque prohi-
 buit; Columbus indignatus illius se insulæ portu arceri,
 cuius ipse nuper fuerat inuentor & propagator, con-
 uersis velis portum absconsum petijt. Inde desiderio
 inueniendi fretum quod per occidentis limitem ad
 orientem duceret, rectà ad occidentem cursum diri-
 gens, Guanaxam adiit, & ad portum Higuerae, quem
 caput Fonduræ vocant, delatus est. Inde reflexis ad
 orientem velis, huius tractus littora retrogradâ nauig- 10
 atione sequutus, Veraguam; inde Zorobaras insu-
 las tenuit. Cum in Zorobaris versaretur, Veraguæ
 prouinciã multo auro affluere cognouit: inde delatus
 in sinum Vrabiensem, venit in notitiã maris australis.
 In hoc itinere duas ex quatuor Carauellis amisit, reli- 15
 quæ rimis fatiscentes nauigationi penè inutiles erant,
 quapropter Hispaniolæ repetendæ consilium sumpsit,
 sed hiscentibus affatim nauibus, in insulâ Iamaicâ per
 causam reficiendæ classis substitit. Dum hic hæret, mi-
 litum corpora diurnæ nauigationis, & maris nausæâ, 20
 morbis tentabantur, reliqui quibus integræ adhuc vi-
 res, inter se discordes, Columbo parum audientes,
 duce Francisco Porresio, tumultuosè per seditionem
 secedere, & in Hispaniam redire tentarunt. Columbo
 propter ægrorum multitudinem nauigare haud erat 25
 integrum: cumque à validioribus militibus dere-
 lictus esset, insulani per contemptum commeatum
 quoque recusabant. Columbus in tanta rerum con-
 sternatione

*Secessio Porre-
 sio.*

sternatione ex casu consilium sumpsit, vocatisque ad
 se insulanorum primoribus, commeatum militibus
 suis vt præstarent enixè petijt, ac ni faciant, totam
 breui a stirpe gentem ab irato numine pestiferâ lue ex-
 5 terminandam iri denunciavit: In cuius rei euidentis
 signum lunæ faciem (quod deliquij fere tempore eue-
 nit) sanguinolento ore foedatam infra biduum appa-
 rituram prædixit, Insulani conspicati lunæ deliquium,
 vt erant naturalium causarum ignari, timuerunt ne
 10 magnum aliquod ipsis malum impenderet, multif-
 que lachrimis erratorum præteritorum veniam pos-
 centes, abundè commeatum & necessaria submini-
 strarunt: sic milites morbis & inediâ debilitati, infra
 paucos dies recreati, sanitatē recuperarunt. Sed Fran-
 15 ciscus Porrefius vasti oceani fluctus metuens, animo-
 que reputans, nauem quam secedens a Columbo ab-
 duxerat inflati oceani fluctibus cessuram, & malè tu-
 tam in Hispaniam nauigationem promittere; aliam
 præterea celocem abducere in animo habebat: cuius
 20 rei occasionem circumspectans, vicinis in portibus
 hærebat. Sed Columbus de Porrefij aduentu certior
 factus, paucis suos adhortatus omnia vicina littora
 portusque collustrans, Porrefium terrâ marique con-
 25 quisitum commisso atroci prælio superauit, & vtrum-
 que fratrem coepit, reliqui in ordinem redacti quieuê-
 re. Portui in quo pugnatum est, Sanctæ Gloriæ no-
 men indidit, is portus conspicitur in Siuigliâ Iamaicæ.
 Primum illud ciuilium armorum in occidente initium

*Primum His-
 panorum in
 Indiâ ciuile
 bellum.*

D 2 fuit,

*Columbi redi-
tus.**Columbi Mors*

fuit, quæ ad insaniam postmodum exercita, tristissi-
mæ laniæ memoriæ ad omnes gentes transmisse-
re. Columbus in insula Iamaicâ, aliquot mensibus
substitit, donec Mendocius, quem ad proregem His-
paniolæ miserat, duas celoces adduceret, quibus His-
paniolam adnavigavit, prouisoque commeatu, foelici
paucorum dierum nauigatione, in Hispaniam redijt,
regibusque nauigationis suæ casum, terrarumque hac
ultimâ suâ nauigatione detectarum situm exposuit,
magnâ audientium regum voluptate. Tandem, ut
erat multis laboribus corporis & animi confectus, in
febrem incidit, quâ inualecente post non multos dies
ex hac vitâ cõmigravit, anno millesimo quingentesi-
mo sexto. Corpus Hispalim delatum, in ecclesiâ Car-
thusianorum humatum est. Erat Columbus bonæ
staturæ, membris decorè compositis, rubicundulus,
ingenio subtili & perspicaci, sed ad iram procliuui, la-
borum patientissimus: Inuentor proculdubio ingen-
tium, & omni memoriâ incognitarum terrarum, quæ
longè latèque in vasto latebant oceano, nostro orbi in-
cognitæ, amplissimùmque Hispanico nomini impe-
rium peperere. Inuidorum tamen calumnias effugere
non potuit, quo minus (quantumuis detecti noui or-
bis laudẽ auferret) fiscalibus actionibus implicaretur,
quæ toto illum vitæ tempore exercitum tenuere. Di-
dacus Columbi nati maior filius, patris in maris præ-
fecturâ successor, priùs decessit quam litis finem obti-
neret. Quatuor Indicis profectionibus diuersas & in-
gentes

gentes prioribus sæculis incognitas terras adiuit & detexit. Mortalium etiam primus Americæ Isthmum ultimâ suâ nauigatione attigit, nullum tamen nomen imposuit. debebatur credo, tantæ orbis parti, Americæ (quod postea consequuta est) nomen. Insignem etiam Columbi modestiam arguit quod in tanta terrarum à se detectarum multitudine nullam urbem aut portum Columborum nomine insigniuerit; Sed virtus sui ipsius pulcherrima merces, id in quo Columbus sibi indulgere noluit, hoc eadem cumulatissimè illi reddidit, quando vno ore grata posteritas, non Isthmi aut portus alicuius, sed totius occidui cardinis notitiam Columbo multis sese nominibus debere, lubens testetur. Duos filios reliquit superstites, Didacum & Ferdinandum. Didacus viginti annos patri superfuit: uxorem duxit Mariam Ferdinandi Toletani filiam, ex qua Ludouicum Columbum tertium Indici maris præfectum genuit. Ferdinandus inter domesticos pueros principis Hispaniæ educatus, patrem tertiam Indicam profectioe sequutus coelebs mansit, sed vir studijs deditus, varijsque disciplinis excultus, coaceruato ingentis bibliothecæ thesauro mille ducentorum amplius codicũ, tali se patre dignum filium præstitit. Sed Ferdinandum regem post Columbi obitum, ingens incessit cura, vt regiones nouissimâ hac Columbi expeditione detectas teneret ac præsidijs firmaret, nam & Columbus antequam fatis concederet, codicillos ea de re ad regem perscripserat, quibus prudẽter mone-

Columbi filij.

*Alphonsus
Hoieda & Di-
dacus Niquefa
Duces in Indiã
destinantur.*

*Hoieda expe-
ditio.*

bat, vt primo quoque tempore Veraguam & Vra-
bam colonijs firmaret. Alphonsum itaque Hoiedam
& Didacum Niquefam Anno à nato Christo mille-
simo nono supra quingentesimum Duces delegit. Ni-
quesam Veraguæ, Hoiedam Vrabæ cum imperio
præesse iussit, addito mandato vt ante omnia, India-
norum animos religionis opinione emollirent. Hoieda
conscriptis quadringentis militibus, Martino Anciso
Baccalaureo (qui iuredicundo prouincijs illis præesse
iussus erat) cum reliquis militibus, equis, tormentis
& commeatu subsequi iusso, nauibus Cartagenam
delatus est, exscensu que in terram facto, pacem ab-
nuentibus incolis, nudos palantesque adortus, multos
interemitt, auri aliquantum ex prædâ collectum est.
Dehinc mediterranea penetrans ducentibus com-
monstrantibusque captiuis, Barbarorum vicum, stre-
nuè sese defendentibus incolis, magno suorum dam-
no oppugnauit, desiderato Iohanne Cossa & septua-
ginta militibus, quos Indi ferali ritu deuorarunt. Sed
superueniente Niquefa animum resumens commu-
nibus viribus oppugnatum denuò barbarorum vicum
coepit & incendit. Inde soluens Hoieda nouæ Cartha-
ginis oram præteruectus Vrabensem sinum ingredi-
tur & ad Caribanæ littus in orientali Vrabensis sinus
parte exposito milite, & commeatu, nouæ Coloniae
(que prima fuit Hispanorum in Indiæ continente)
fundamenta molitus, crebris excursionibus Indos in-
festabat. Tiripium deinde barbarorum municipium,
opinio-

opinione opulentiae celebre, irrito conatu oppugnauit. Cūque commeatus inopiā premeretur indicio cognouit, non procul abesse vicum omnium commeatus genere abundantem, eò repente contendens locum inuasit, vnde annona laxior & captiuorum ingens numerus, inter quos reguli quoque vxor abducta est, cuius redemptionem cū maritus promisso auro impetrasset, die præstituto lytrū adferre simulans, Hoiedam cōtumeliosè compellat, & sagittā veneno infectā Capitanei femur, vltus iniurias amicorum vicique nuper ab Hoieda exusti, fauciat. Regulus cum vxore & octo socijs in conspectu Hoiedæ à circumfufis vndique militibus obrūcati, barbaræ magnanimitatis poenas dedere. Sed cum multis militibus per acies aut vulnera absumptis, reliquorum corpora valeudo tētaffet, cœlique intēperie vulgatis morbis multi indies interirēt, fremitu totis castris orto, gubernatorem probris incessabant, sed aduentu Bernardini Talaberæ qui militum supplementum & commeatum aduehebat recreati, paululum quieuere, mox vehementior exarsit seditio, Hoieda per contubernia singulos consolatus hortabatur, bono fortique animo essent, quando relatione Talaberæ, Baccalaureum Ancisum cum commeatu magnisque subsidijs breui adfuturum scient. Sed surdis hæc canebantur: iamque indicio cognouerat nonnullos destinasse occupatis nauibus fugam moliri: optimum itaque ratus eos præuenire, relicto propræto Francisco Pizarro acerrimo iuvene, cui

Peru-

Hoieda vulnerans.

Hoieda Hispaniolā repetit.

Franciscus Pizarro.

Peruuiæ amplissimæ opulentissimæque prouinciæ de-
 tectiore seruabatur, itineri se accinxit, promittēs, breui
 se reuerfurum cum commeatu & recentium militum
 supplemento, ac nisi intra quinquagesimum diem re-
 disset, omnes iuramento liberare & quocumque illis
 visum esset abeundi potestatem sese facere testatus est.
 Sic Talaberæ nauem conscendit & Ancisum quærens
 multis circumuentus ærumnis vix tandem Hispanio-
 lam tenuit, vbi ex vulnere nuper accepto, siue quod
 nulla subsidia militibus suis ad manum esse perspice-
 ret, ingenti animi inœrore correptus post paucos dies
 moritur. Elapsis quinquaginta diebus cum ne sexage-
 simo quidem quisquam comparuisset, aut ab Hoiedâ
 quidquam nunciaretur, Pizarrus cum acri fame pre-
 meretur, reliqui tantùm septuaginta ex trecentis mi-
 litibus, conscensis duobus nauigijs execratus diras ter-
 ras, Hispaniolæ repetendæ consiliu insumpsit: vix dum
 in altum prouectus vela dabat, cum sæuæ tempestatis
 iactatus procellis, nauium alteram cum omnibus mili-
 tibus & armamētis aquis hauitā amisit, alterius verò
 clauus à miræ magnitudinis pisce in frustra excussus
 est. Sic Pizarrus semi-naufragus in insulam Fortem è
 regione Cartagenæ & Vrabici sinus eiectus, ab insula-
 nis etsi pacis amicitiaque signa præferret, quum aqua-
 tum descendisset armis ferisque vlulatibus prohibitus,
 littus aliud magis propitium quærere coactus est: con-
 tinuatōque inter omnia cœlo terraque infestâ, infaustæ
 nauigationis cursu, inter Cartagenâ & Cachibacoam
 Bacca-

Hoieda mori.

*Pizarrus cum
 reliquijs exer-
 citus Vrabam
 deserit.*

Baccalaureum Ancisum cum commeatu, & militū supplemento quod Hoiedæ adducebat, obuium habuit. Pizarrus mirabiliter recreatus, sæuæ fortunæ aduersos casus & Hoiedæ discessum exponit, militesque omnium egenos, morbis, fame, ac siti penè subactos, permissu præfecti, iurisiurandi religione solutos, Hispaniolam repetere pronunciauit. Ancisus aliud atque erat suspicatus, more militiæ, tanquã desertores proditoresque sui legati corripuit, mox certiora edoctus, Hoiedæ militūque calum miseratus, tamen pro iure imperij milites ponè subsequi sese iussit; Pizarrus commilitonum nomine supplex obtestabatur, vt ferrimi exercitus vltimas reliquias saluas esse vellet ac conseruaret, petendæque Hispaniolæ potestatem faceret: constanter id ipsum recusante Anciso, milites oblato magno auri pondere communibus votis id ipsum petere, & vt sui misereretur obtestari cœperunt. Tum Ancisus humaniter illos consolatus quòd nouo commeatu recreati pristinas vires breui recuperarent, ad antiquam militiam reduxit turbidos & inuitos. Prima in terram exscensio, a quandi gratiâ, facta est in Comagræ littus, vbi à barbaris sine maleficio dimissus est, cum neque Hoiedæ, neque Nique-se naues agnoscerent, à quibus haud ita pridem casas suas succensas & deuastatas iracundi fremebant: Pace cum Caramarensibus firmatâ, Ancisus Vra-biensem prouinciam denuò petere instituit, sed naucleri inscitiâ in ipso portu vnde digressus erat

Pizarrus Baccalaureum obuium habet.

Ancisus Hoiedæ reliquias ad militiam reducit.

E Hoie-

*Ancifus Vrabã
repetens in por-
tu naufragium
fecit.*

Votum Ancifi.

Hoieda, naufragium fecit, nauisque prætorica scopulis illisa, merfa simul cum armis, equis alijsque animalibus propagationis causã aduectis periit, ipsi milites nullã præter vitam re incolumi ægre seruati in littus euasere: Ancifus absumpto reliquo commeatu quum iam milites præ inopiã radicibus pomisque syluestribus vescerentur, ad subleuandam diræ famis necessitatem, assumptis centum militibus, mediterranea penetrare statuit, vix quatuor miliaria emensis, ingens sagittariorum globus Hispanos nihil tale timentes audacter incurfat, nauisque repetere compellit. Ancifus in tantã alimentorum penuriã penè inops consilij, cum ex captiuis didicisset non procul inde in aduerso littore campestem, frugibus vitæ que alimentis abundantem esse regionem, cõ proras conuertit, deserto-
que orientali Darienis littore, occidentale latus occupauit, iamque propugnaculum & casas moliebatur, cum hostiliter ingruens Indianorum manus, aduenas patriã terrã expellere nitebatur. Ancifus arma expediri iussit, acie instructã, milites anteaquam ad teli
iactum venirent, in genua prouoluti infensi numinis iram deprecabantur. Ipse Ancifus nuncupato voto diuæ virgini cui celebre ab antiquitate Hispali cognomẽ est, si voti compos foret, se ædem sacram e Cemaci Cacici domo exstructurum, eiusdemque Virginis
antiquæ nomine consecraturũ vouit. Commisso atroci prælio Hispanus victor discessit, inuasisque eius gentis pagis, commeatus abunde suppetijt. Cumque bi-
duo

duò post aduerso flumine nauigarent, Barbarorum
 supellectilem aurique ingentia pondera inuenerunt,
 quæ à Comaco rege ante conflictum eò comportata
 atque abdita fuerant, ne in Christianorum manus ve-
 5 nirent, mirum in modum gaudentibus militibus, tan-
 tam sese commeatus vbertatem, tantamque auri co-
 piam consecutos. Ancisus obtentâ hac præclarâ victo-
 riâ, socios quos in aduersâ ripâ reliquerat accersit, mo-
 litusque nouæ colonix fundamenta, ædem Diuæ Vir-
 10 gini consecrauit, & locum Antiquæ Darienis nomine
 celebrem fecit, Sed Niquesa digrediens ab Hoiedâ as-
 sumptâ Carauellâ vnâ & duabus biremibus, cæteris
 se subsequi iussis, versus occidentem solem similiter
 15 cursum dirigit, quærens Veraguam littoribus occi-
 dentalibus Vrabæ contiguam. Sed intempestæ noctis
 tenebris abreptus, socios amisit: Lupus de Olando
 vnus biremis rector, ex incolis cognouit sese Vera-
 guæ portum à tergo reliquisse, repetitâ itaque ad orien-
 tem nauigatione, Petrum Vmbriam qui nocte à cursu
 20 aberrauerat obuium habuit. Cum Niquesæ Carauella
 nusquam cõpareret, cõuersis velis Veraguam petiere si
 fortè Niquesam illic inuenirēt. Sed nusquam inuēto aut
 comparēte Niquesâ, summa imperij Olando delata
 est: is maizium seminare & casas fabricare insti-
 25 tuit, infaustoque & funesto consilio (vt omnem socijs
 fugæ spem præscinderet) naues temerè ad littus ferri,
 & inter se collidi passus est: sed temerarij consilij erro-
 re deprehenso, è fractarum tabulis, carauellam vnâ,

*Antiqua Da-
 rienis.*

*Niquesæ casus
 & error.*

*Lupus de Olan-
 do in Niquesa
 locum suffici-
 tur.*

ad necessarios & subitos vsus fabricari iussit. Hoc rerum statu, vnus ex naualibus socijs è speculâ mare despectans, cum ex occidentis latere nauiculam velis instructam conspexisset, lintea vela sese videre acclamauit: cùmque portum subisset scapha, deprehensum est cymbam Niquesæ esse, de Niquesâ interrogati, illum amissâ carauellâ in Zorobarensum insulis, omnium rerum egenum oberrare, & tertium iam mensem radicibus & syluestribus pomis victitantem decreuisse pedibus Veraguam petere, nunciant. 10

Niquesa in exercitum reuertitur.

Olandus in Vincula coniectus.

Niquesa Veraguam deserit.

Nominis Dei propugnaculum a Niquesa exstructum.

Olandus extemplò biremem ad deuehendum Niquesam misit, quam paucis quos ex militibus suis reliquos habebat comitatus conscendit, & foeliciter ad exercitum reuersus est. Sed ingratus, Olandum in vincula coniecit, & proditiõis reũ peregit, quin & infaustris illis terris sese excedere velle testatus, milites extemplò itineri sese parare iussit, qui messem instantem & frugum maturitatem causati, exigui temporis moram orabant. Sed Niquesa propositi tenax, vela orientem versus intendens, portum, cui ab egregiâ tutâque statione belli nomen à Columbo inditum fuerat, tenuit. 20 Sed Indi appulsum Niquesam cum magnâ militum iacturâ retro ad naues compulerunt. Ad Marmoris itaque promontorium progressus subitario opere ilicò propugnaculum Nominis Dei exstruxit & cõmuniuit, mansit loco nomen, vel quod. xviii. Calend. Februarias (in quem diem Dominici Nominis celebritas incidit) Niquesa eo appulerit, vel quod terræ succe-

succedens foelicioremque sibi rerū statum promittens, bono omine, suos adhortatus, in nomine Dei inquit exiliamus in terram. Tale habuit initium celebratissima illa Septentrionalis Indiae ciuitas, quæ bonis auibus
 5 succedentibus temporibus in immensum excreuit, & quicquid diuitiarum australis maris vndis aduehitur, recipit, nostrisque Europæis transmittit, Cæterum ex septingentis octogenis Niquesæ militibus vix centum reliqui erant: Nam cum Veragua excedens Caput
 10 Marmoris quæreret, Nominisque Dei propugnaculum communiret, plusquam ducentos, maris nausæ, & assiduis hostilibusque barbarorum incursionibus amiserat. Sed Darienses feralibus odijs discordes in partes secesserant, alijs ad Prætorem Ancisum, alijs
 15 ad Vascum Nunnium imperium deferentibus, re ad extremum penè certaminis deductâ, superuenit Rodericus Colmenares cum recenti comineatu & nouorum militum supplemento, is in itinere continentis
 20 oram legens, cum Gairam velis tenuisset, nauales socios militesque aquatum misit, sed parum memores quam ignotis in locis versarentur, temerè in terram egressi, ab Indis circumuenti, & ad vnum omnes interfecti sunt. Colmenares malè tutam aquationem expertus, execratus iniquum littus, sublatis dolonibus
 25 Vrabam versus cursum tenuit, Hoiedam & Ancisum requirens, sed repertis tantum Hoiedanæ Colonix (à Pizarro nuper desertæ) quibusdam vestigijs, primùm animo vehementer conturbari, & omnes à

*Colmenares
 Hoieda supplementum adducit.*

barbaris dilaniatos fuisse timere cœpit. Sub vesperam
 ad naues regrediens, cum vnam ex alia cogitationem
 duceret, suspicari cœpit, coloniam translata & vi-
 cinis in vallibus commodioris vsus gratiã deductam
 fuisse, pluribus itaque in collium summitatibus exci- 5
 tatis ignibus, simul vniuersum duarum nauium æneo-
 rum tormentorum apparatus displodi iussit, vt ab
 Hoiedanis, si fortè in vicinis vsquam locis confedissent
 exaudiri posset. Antiquani audito Colmenaris signo
 visisque ignibus Hoiedam Præfectum suum aduenisse 10
 rati, summis & ipsi in montium iugis ingentibus ex-
 structis pyris, magnòque vicissim tormentorum fra-
 gore, Colmenari haud se inde procul abesse significa-
 runt. Colmenares sequutus volitãtem in aëre fumum
 Antiquã deuenit. Viso Colmenare mutuis inter du- 15
 ces gratulationibus certatum, inter milites salutatio
 facta est. Nusquam militares manipulos lætioribus
 animis conuenisse relatum scio: nam Colmenares re-
 bus Dariensium desperatis, cum assiduis Indianorum
 excursionibus clausi tenerentur, & exiguus esset com- 20
 meatus, neque cibum ab infensis infestisque vt pete-
 rent progredi tutum esset, lacerique & seminudi ar-
 borum frondibus, radicibus & pomis syluestribus vi-
 tam difficulter sustentarent, serum penè auxilium ve-
 nerat. Vestimentis & commeatu recreati, pacem 25
 tamen oderant, neque discordiarum vllus erat finis,
 Colmenari aliisque quibus pax placebat, consultius
 visum fuit, Niquesam euocare, qui discordes regeret,
 & sub-

& sublatis contentionibus, imperij curam susciperet,
 donec Catholicorum regum voluntas exquiratur, quæ
 potissimum summæ rei præesse velint, huic sententiæ
 ab Anciso & Valboâ (qui omnia quam Niquesam
 5 malebant) acriter resistebatur, vicit tamen pacis stu-
 dium, & Niquesam requirentium votum. Colme-
 nares delectu militari iussus proficisci, ad requiren-
 dum Niquesam, conscenso Ancisi myoparone Ni-
 quesam apud nominis Dei portum inuenit, squali-
 10 dum & omnis rei egenum; Niquesa Colmenarem
 complexus in lachrimas effusus, casus acerbos, & mi-
 seram suam sortem exponit: Colmenares apertis suæ
 legationis causis, bono fortique animo esse iubet, ve-
 terumque malorum obliuisci, quando nouo arridentis
 15 fortunæ beneficio, prioris conditionis haud dubia spes
 affulgeret. Niquesa itaque in nouam spem erectus
 cum septuaginta quinque Hispanis militibus quos ex
 amplius octingentis, reliquos habebat, Vrabam ve-
 lis contendit, sed ferox & immodicus linguâ, in itine-
 20 re multa intemperanter de Valboâ & Anciso Bacca-
 laureo iactitans, cum quosdam gradu atque dignitati-
 bus sese moturum, alijs pecunias & facultates ablatu-
 rum profiteretur, eaque complurium auribus excepta
 Dariensibusque properè relata essent, exitium Ni-
 25 quesæ maturarunt: Nam Ancisus atque Valboa an-
 tea discordes nauis egressum Niquesam multis probris
 onerarunt, nauemque cum suis militibus repetere cõ-
 pulerunt. Ille mœrens recessit, neque vsquam am-
 plius

*Niquesa repul-
 sa & fatuus.*

plius comparuit, creditur fluctibus haustus aut à barbaris cæsus & comestus. Hunc habuit exitum infœlix Niqueſa. Fugato Niqueſâ haud tamen Darienſibus inter ſe pax conſtabat, ſed priore foedior ſeditio exarſit. Valboa audax manu, præoccupat, & Ancifum in vincla conijcit, bonâque eius fiſco regio aſcribi iubet, paulò poſt quorundam interceſſione dimiſſum, abitumque parantem, retinere conabatur, oblatâ prætoris dicundi iuris priore dignitate. Sed Ancifus repudiato beneficio, indignabundus in Hiſpaniam con-
 ceſſit & Valboam maieltatis accuſauit viſiſque in formationibus atrox in Valboam lata eſt ſententia. Valboa cum ſublatis æmulis ſolus rerum in Antiquâ Darienſis potiretur, deficiēte comineatu Coibam expugnauit, & Caretâ regulum quòd imperatos com-
 meatus recuſaret, cum vxoribus & familiaribus captiuum abduxit, Dehinc pace cõciliatâ Poncam Caretæ hoſtem perſequutus, & in mediterranea progreſſus, vrbem expugnauit, ſed nihil prædæ fuit: nam Ponca fugiens omnia ſua abſtulerat. Valboa Antiquam Darienem reuerſus, periculolum iudicans mediterranea vltèrius penetrare, tutiùſque fore ſi ſecundùm maris littora expeditiones ſuſciperentur, aduerſùs Comogrum, Comogræ prouinciæ regulum duxit, ſed intercedente vno ex domeſticis Caretæ, pace
 amicitiaque inter illos contractâ, Hiſpani pacato agmine prouinciam intrarunt: Nam Panquiacus Comogri filius maior, homo ingenio minimè barbaro,
 patri

Ancifus a Valboâ capitur.

Valboæ expeditiones.

Comogrus.

*Panquiacus
Comogri filius.*

patri persuaserat, cum hoc peregrino hominum ge-
 nere blandiendo moderatius agendum esse, eniten-
 dūmque imprimis ne gens auara & crudelis, vllam
 causam dissidij inueniat, quā totius regni subuersio-
 5 nem & expilationem cōmittat aut prætexas: Vasquo
 itaque Valboæ & Colmenari quatuor auri laborati
 drachmarum milia, cum septuaginta Indicis seruicijs
 Comogrus dono misit. Sed obortā fortē inter milites
 rixā, cum Valboa in vestibulo regiæ, detractā quintā
 10 vectigali, appensum aurum diuideret, Panquiacus
 subiratus, fertur excussā lance, aurum per aream dis-
 persisse; Indignum clamitans, viros ratione præditos
 & tam longinquis profectos ab oris, pro re nihili, quæ-
 que ad humanæ vitæ sustentationem in nihilo vsui ef-
 15 set, inter se digladiari, inimicitiasque suscipere aduer-
 sūs possessores talium rerum; si tamen tam vasta
 tamque insana foret auri cupido, vt illius causā expe-
 ditiones peregrinationesque difficillimas suscipere,
 bellūmque possessoribus tam vilis metalli mouere,
 20 operæ precium ducant, omitterēt rixas, sese aliam illis
 regionem commonstraturum vbi abundē huius me-
 talli sitim expleant. Quærente Valboā nomen regio-
 nis, per interpretem respondit, sex dierum itinere ab-
 esse, sed mediterranea à Caribibus alijsque feris gen-
 25 tibus habitari, maioribus itaque copijs opus esse, an-
 teaquam ad mare possit deueniri. Valboa audiens
 maris mentionem, ratus quod erat, Panquiacum
 complexus, gratias illi egit pro suā in se suosque

*Maris austr-
lis notitia.*

F bene-

benevolentiam, perductumque ad Christiana sacra
 Carolum nuncupavit, eoque duce susceptam postea ex-
 peditione maris australis, devictis, aut pacatis diuer-
 sis regulis, post multas ærumnas ad mare australe pe-
 netrauit, & Catholicorum regum nomine sese illud
 possidere constituit, anno reparatæ salutis decimo ter-
 tio post millesimum quingentesimum, quarto Calen-
 das septembres. Inde foelici successu magnam auri &
 margaritarum copiam auctus, XIX. Ianuarij insequentis
 anni, Antiquam Darienis redijt. aduentantem socij
 solemnipompam & festis velationibus susceperunt: mis-
 sis deinde ad Catholicum regem codicillis, australis
 maris à se susceptam expeditionem perscribit, simul
 specimen auri, margaritarumque ingentem vim trans-
 mittit unam cum pelle tigridis à Dariensibus captæ. Au-
 thores habeo qui ad viginti castellanorum millia col-
 lecti auri & CC. ingentes margaritarum uniones pro
 regiam vectigali quintam cessisse scribant. Rex acceptis
 Valboæ literis & vectigali auro, cæterisque muneri-
 bus, latam aduersus Valboam sententiam antiquavit,
 repertique Australis pelagi illi Adelantadum siue præ-
 fecturam detulit, cum mille Hispanorum supplemen-
 to. Sed Petrum Ariam Dariensibus imposuit, misso
 eodem præfule, ad muniendam illis in partibus viam
 Euangelio. Venientem gubernatorem, Valboa cum
 Dariensibus honorificè suscepit, hospitioque suscep-
 tum Petrum Ariam benignè fouit. Vocato consilio
 cum de statu rerum ageretur, Nunnius Valboa di-
 lucidè

*Maris austr-
 alis possessionem
 capit Valboa.*

*Adelantadum
 castellanorum*

*Petrus Arias
 Dariensibus
 præficitur.*

lucidè de totâ expeditione australis maris locutus, nihil eorum quæ conueniebat omittens aut supprimens, totius prouinciæ statum declarauit, & Petrus Arias publicè collaudatum Valboam, regiâ gratiâ beneuolentiâque dignum dictitabat. Sed puncto temporis omnis illa gratia euanuit, quantumuis domestico foedere malè conglutinata; Nam Valboam occupatum expeditione australis pelagi, ad se vocatum in vincula coniecit, & proditiõnis insimulatum, focer securi percussit. Hic finis magni illius Valboæ Nunnij, cuius ductu australis pelagi detectæ opes. Indignam tanti viri mortem rex totûlque Indicus senatus perquàm egrè tulêre, cuius rei inuidiâ cum cõflagraret Petrus Arias, eidem mox abrogatum est imperium, nullâ memorabili re in continente gestâ, nisi quod Panamam & Nominis Dei ciuitates, colonis repleuit, & quinquagies mille passuum iter inter utrûmque mare, syluis, lamis, rupibûsque inuium, vrsis tigribusque infestum aperuit atque complanauit. Sed Valboæ expeditio australis que pelagi detectio, secundâ ubique taniâ celebratur & celebrabitur semper, propter inexhaustas opum facultates quas Hispanico nomini contulit. Celebratur & Ioannis Grialui nauigatio, cuius auspicijs in Mexicani regni, & nouæ Hispaniæ cognitionem deuentum est: Nam cum Franciscus Ferdinandi Cordubensis parum foelici euentu Iucatanas terras tentasset, & præter diuitiarum famam nihil indè retulisset, Didacus Velascus præfectus Cubæ insulæ,

Nunnij Valboæ mors.

Ioannis Grialui expeditio.

Ioannem Grialuum nepotem suum quatuor carauellis instructum, misit, vt certiora de Iucatanâ regione cognosceret. Grialuus die decimâ Maij, anni millesimi quingentesimi decimi octauj, è portu Cubensi soluens, Acusamillam siue sanctæ crucis insulam petijt, inde ad septentrionem nauigans cum in reflexu littorum continentem esse deprehenderet, continuatâ nauigatione Ciampatonem delatus est, vbi haud secus atque Ferdinandus Cordubensis, malè ab infestis incolis exceptus, multis ex suis vulneratis, & occiso Iohanne Guetario, ipsi Grialuo, saxo os dentésque comminuti. Crudeles itaque relinquens terras, Tauascum, quem Grialuum nunc vocant fluum inuentus, annuentibus incolis pro rebus exigui momenti res incredibilis pretij permutatione Indianorum abstulit. Hinc ad Sancti Iohannis vsque fluum deuentum, cuius oræ recentem possessionem nomine auunculi sui coepit. Hic quoque mutuis permutationibus merces benignè commutatæ sunt, tantùmque diuitiarum hac nauigatione cõsequutus est Grialuus, vt veri fidem excedat. Quod si coloniam hisce in partibus deduxisset, eadem illum quæ Cortesium fortuna sequuta esset. Grialuus hinc Aluaradum cum permutatatis mercibus Cubam præmisit, ipse borealia littora sequutus, enauigato Guastacano sinu nusquam exscensione factâ, satis se supérque terrarum lustrasseratus, conuerso cursu Cubam repetijt. Velascus intereà de nepote suo sollicitus, cum diutiùs quàm par esset

*Tauascus siue
Grialui fluius*

Aluaradus.

5 esset abfuiſſet, Christophorum Olidum miſit vt de illo inquireret, aut illi ſubſidio eſſet: ſed Chriſtophorus nuſquam inuento Grialuo Hauanam redijt. Interea appulit Aluaradus cum relatione terrarum quas
 10 Grialuus viderat adierátque, & permutatis mercibus; Velasus auditâ Aluaradi relatione, nepotis ſui fortunam laudabat: ſed metuens ne inueſtigandis alijs
 15 terris intentus, tempus tereret, cum Ferdinãdo Cortefio tranſegit, vt claſſe communibus expenſis paratâ
 20 nouas haſce oras detegeret & ſubijceret. Poſt reditum Grialui Velasus mutato conſilio, proprijs auſpicijs claſſem deducere in animo habebat. Sed Cortefius propoſiti tenax, obtentâ à Rectoribus Hieronymianis, poteſtate nauigandi, ſub annum M. CCCC.
 25 XVIII, vndecim nauium claſſe, quingentis quinquaginta militibus inſtructâ, ex vltimo Cubæ portu qui in occidentem rectâ protenditur, & Sancti Anthonij nomine celebratur, curſum ad Cathocum Iucatanæ peninſulæ promontorium intendit: ſed aduerſis iacta-
 30 tus procellis in Acufamillam inſulam eiectus eſt. Ma-
 35 ris accolæ viſâ claſſe relictis mapalibus, in ſolitudines perfugere: Reguli vxorem inter abruptas ſaxeasque rupes cum prolibus latitantem, Cortefius ad ſe deductam comiter excepit, donisque cultam, ad ſuos
 40 remiſit: Regulus ſubditique, hac aduenarum humanitate prouocati, deſiſto metu, domos ſuas rediere: cumque conciliatis hoc modo inſulanorum animis, frequentes ad littus indiès ventitarent, nauiumque

*Ferdinandè
 Cortefij Hiſpania noua de-
 tectio.*

*Acufamilla
 inſula.*

magnitudinem, & Hispanorum barbas mirarentur, Cortesius indicio Indianorum cognouit, in Iucatanâ continente tres quoque barbatos (sic Christianos designabant) degere: erant ij ex reliquijs infoelicis Baldiuij: Qui à Niquefâ in Hispaniolam missus, vt vectigale aurum deferret, & turbatum discordijs Darienis itatum, simulque rerum omnium quâ premerentur penuriâ Didaco Columbo Indici tum maris præfecto expromeret, cum haud procul Iamaicâ, in Viperinos scopulos impegisset, demerso myoparone, in piscatoriâ scaphâ cum viginti socijs seruatus post infinitas ærūnas amissis in itinere aliquot socijs, Iucatanis tandē oris applicuit, vbi egressus in littus cum omnibus suis captus est. Ipse Baldiuus cum quatuor militibus, à recenti irâ ad Idolorum delubra raptus, ferali more cæsus & comestus est. Hieronymus Aquilaris Astigetanus cæteri que socij, cum ad proximum sacrificiorum tempus clausi asseruarentur, ruptis vinculis effugere, & apud propinquum Regulum comiter habitū delituere, donec iussu Cortesij accerferentur. Sed reliquis omnibus defunctis solus Aquilaris supererat, & cum illo Gonzales Guarrerus Nauarchus, qui auribus naribusque perforatis, cum corpus faciēque puncturis fædasset, & Cacici Chetemalensis sororem vxorem haberet, siue pudore retentus, siue coniugis librorūque amore præpeditus, nunquam induci potuit vt ad suos rediret: solus Aquilaris venit, magnōque postea vsui fuit. Cæterum Acusamillenses Idololatræ, idola

*Baldiuij & socij
infortunij
i. l. 170.*

Baldiuij mors.

Hieronymi Aquilaris casus.

Gonzales Guarrerus Nauarchus.

Aquilaris ad Cortesium venit.

idola lignea atque aurea, varijs ferarum & draconum
 effigiata formis, tanquam deos colebant, atque his
 placandis inhumano more captiuorum cruore sacri-
 ficabant. Cortesius per Aquilarem blandissimis ser-
 monibus, promissis, atque item muneribus illos per-
 mulcens, hortatusque vt abdicato idolorum cultu,
 Christiana sacra susciperent, annuentibus incolis Ido-
 lorum statuas confregit, & erecto salutiferæ crucis sig-
 no, Christo Seruatori solemnes aras dicauit: Deinde
 vt prima mari tranquillitas data est, secundis ventis
 ex Acufamillâ insulâ soluit, flexoque Catochi pro-
 montorio, emensus Iucatanæ terræ septentrionales
 oras, Campecium, inde Grialai fluium nauibus te-
 nuit. Daobus indè passuum millibus aberat Ponton-
 chana vrbs amplissima, viginti quinque familiarum
 millibus habitata. Incolæ primò com meatum benignè
 præbuere, deinde contemptâ aduenarum pauci-
 tate, Cortesio per interpretem denunciarunt, vt quã-
 primùm terris suis excederet: Cortesius cum tentatis
 nequicquam per colloquia incolarum animis, nihil
 pacati respōderetur, oppugnatam urbem cœpit, mul-
 tis barbarorum cæsis, maior oppidanorum pars, in-
 ter cædem & incendia in syluas perfugit. Ne verò de-
 sertam haberet urbem, dimissis aliquot captiuis, Re-
 gulo profugo cum subditis redeundi potestatem fecit:
 lege imperatâ, vt ab humanis carnibus abstinerent,
 & euersis Idolorum aris, veri Dei cultum amplecte-
 rentur, Hispaniæ que regum maiestatem agnosceret.

*Acufamillen-
sium Idolola-
tria.*

*Cortesius an-
nuentibus Acu-
samillensibus
idola confregit*

*Pontonchana
ciuitas.*

*Pontonchana
ciuitas oppug-
nata capitur.*

A vi-

48 DESCRIPTIONIS PTOLEMAICÆ

A victoriâ ibi partâ, Victoriæ vrbi nomē impositum, quia omnium ciuitatum prima armis tentata & occupata fuit. Inde Cortesius præteruectus Aluaradi fluiuium, vsque ad Calcioëcam, nunc Sancti Iohannis portum progressus, à Tendillo Motezumæ Mexicanorum regis præfecto, benigne susceptus est; sed inter idiomate prorsus diuersos, linguæ commercium aberat, nihilque inter illos conferri potuit, nam Aquilaris, huius gentis linguam nullo modo intelligebat; quapropter Cortesius discedere, & à littoris huius vltiore inuestigatione abstinere decreuerat. Sed à Tendillo digrediens, mulierem vnam ex Indicis mancipijs, quæ à Pontonchano rege habuerat, cum Tendilli domesticis diserte & non minus familiariter vernaculâ linguâ loquentem deprehendit. vocatam ad se mulierem ingētibus promissis vltra libertatis æstimationem impleuit, & interpretis loco cum Aquilare retinuit. Marinæ huic postmodum Christiana sacra suscipienti nomen inditum, plurimùmque momenti ad Mexicanam hanc expeditionem attulit. Xalisanâ regione, quæ nunc noua Gallicia, oriunda erat: nata parentibus Vilutanis, locupletibus dominóque loci affinitate coniunctis; in primâ ætate per belli tempus rapta, à Iucatanis mercatoribus diuendita, in Pontonchani reguli potestatem venerat. Cortesius itaque commode nactus interpretem, cum Tendillo de nouo colloqui coepit, prolixâque sermonis communicatione, cum multa de Mexicani regni amplitudine, &

Mote-

Cortesius à Tendillo Motezumæ præfecto suscipitur.

Marina.

Marina patria & origo.

Colloquium Tendills & Cortesij.

Motezumæ Regis potētīā magnificentīāque accepisset, cupido illum adeundi videndique huius regni cœpit: itaque & munera Motezumæ misit, & renunciari iussit, ipsum ex regis sui mandato adeundum esse, vt Maiestatis suæ intentionem legationisque suæ causas explicet. Tendillus per hemerodromos siue Indicos cursores, Motezumæ, aduenarum nauiumque & equorum formam, in panno laneo affabrè depictā, vnā cū Cortesij donis trāsmisit: Motezuma auditis ijs quæ adferebantur, visisque Cortesij muneribus ingēti curā angī cœpit; nam anno fere priusquam hæc contingerent, iecerat in Mexicano sinu anchoram ingens myoparo. Cotoštani mariūmi huius tractus accolæ, viso procul nauigio linteisque velis, insolitā hac re terri, cū eminūs difficulter discernere quid hoc rei esset, quibusue ab oris nauis illa venisset; studio rei certius cognoscendæ, cōmeatum quæque alia in pretio habebant, ad peregrinā hanc nauem mercium permutandarum causā, patrijs phaselis siue canois detulere. Hispani illi quicūque fuerint (licet suspicari Ferdinandum Cordubensem, aut Grialuū fuisse) benignè exceptis Indis, prolixè ex iisdē, & Regis & terræ illius nomen potentiāque didicerunt, recedentibusque Indianis torquem varijs vitreorū globulorum coloribus distinctū, regi suo deferendū tradiderunt, eidē renunciātes, nunc illis non esse integrū in terram exscēdere, in reditu suo tamē sese regē adituros. Cotoštani recepto hoc mādato, & collari vitreo, quod ipsi adulterinarū gemmarū

Tendilli diligentia.

Motezuma cur ad conspectum munerum Cortesij cōturbari cœperit.

G

in scij

infcij, tanquam ex nobilibus lapillis coaceruatū, mag-
 ni faciebant, ad Motezumam venēre, deferentes in
 telâ laneâ depictam militum nauiumque formā, vnâ
 cum vitreo collari. Motezuma perturbatus visis au-
 ditisque ijs quæ limitanei nunciabant, eisdem impera- 5
 uit rem vt silentio tegerent. Relatâ deinde re ad con-
 cilium, cum pannum & collare protulisset Motezu-
 ma, placuit per totâ Septentrionis maritimam oram,
 in speculis frequentes custodias disponi, deque omni-
 bus quæ occurrerent Mexicanum regem quamprimum 10
 certiore fieri. Nunc igitur nunciato Cortesij
 aduentu vehementer cōmoueri cœpit, quia in Mexi-
 canis terris constans fama erat, tempore Motezumæ
 venturos exteros, qui Mexicanum imperium subuer-
 terent: ne tamen in vulgus hæc sinistrè excepta publici 15
 status causam turbarent, aut nouandi occasionem da-
 rent, Heroum aliquem, hoc est Quatzaltoalum, aë-
 ris Deum, antiquum suum dominum hâc classe ad-
 uentasse, per euulgatores nouorūmque rumorū au-
 thores in vulgus sparsit. Haud obscura quippe apud 20
 hosce Mexicanos opinio inualuerat, olim ante aliquot
 sæcula præcipuum quendam principem illinc recessis-
 se, qui sese aliquando ex orientis partibus rediturum
 prædixisset, & quo famæ aduersa, periculâque quæ
 metuebat facilius contegeret, eâdem simulatione le- 25
 gatos ad Cortesium misit, qui aduentum illi gratula-
 rentur suâque omnia illi deferrēt, quâdo seiret Quat-
 zaltoalum dominum suum nūc aduenisse, cui omnia
 prospe-

*Motezuma
astus.*

*Motezuma ad
Cortesium lega-
tio.*

prospera precabatur: Stoliditas aut dissimulatio hæc
 Motezumæ & Mexicanorum, contrario penè dolo,
 pacificam Mexicanorum regnorum possessionem
 Hispanis præbuerat, nam Cortesius per Marinam
 certior factus de Mexicanorum persuasione, modestè
 intentionem Motezumæ per simulationem fouebat,
 nam hætenus Mexicani oratores illum Quatzaltoa-
 lum esse, aut inuenisse sese putabant: Sed militum na-
 uiúmque Præfecti qui Mexicanorum regnorum po-
 tentiam & amplitudinem ex magnifica Motezumæ
 legatione intellexerant: magnum rerum suarum, sus-
 ceptæque expeditionis momentum, in eo verti æsti-
 mantes, si apud barbaras hæc gètes, strenuorum vi-
 rorum, fortiúmque bellatorum nomen opinioném-
 que adipiscerentur, quia tutiorem hoc modo, minúf-
 que despectam, quantumuis numeroso in populo pau-
 citatè suam fore arbitrarentur, vniuersum colubrina-
 rum & æneorũ falconum apparatus è nauibus in terrã
 exponi mandarunt. Tormentorũ iste apparatus inso-
 litus, & nunquã ab Indis antea visus, ingentè Mexi-
 canis terrorè iniecit. Milites insuper vibrantes arma,
 minaci vultu Mexicanos ad pugnam, viriúmque sua-
 rum periculũ faciendum prouocabant, detrectanti-
 búque illis seu metu seu pudore pugnæ aleam, prola-
 tis loriceis, machæris, amazonijs, securibus, frameis,
 pertisanis, alijsque militarium armorum terricula-
 mentis, quibus obuijs hostibus, truncatis corpori-
 bus, aut defectâ ceruice, vnico iectu capita brachiãque

*Præfectorum
 militumque
 inconsulta
 festinatãque
 alacritas.*

sese amputasse iactitabant, magnum barbaris terro-
 rem incussere. armorum itaque hac ostentatione &
 apparatu, vrbisque insuper Pontonchanæ recenti cla-
 de attoniti, mutatâ opinione, non dominum suum
 aut heroûm aliquem, sed deorum suorum inimicum
 hac classe aduectum per sentiscebant, domûnque re-
 uersi, alia omnia, quàm sperauerat Motezuma, re-
 tulere. Exinde Motezuma omnibus modis adniti coe-
 pit vt peregrinam gentem regni limitibus arceret, vo-
 catisque idolorum ministris, petijt vt deos Mexi-
 cani regni præsidēs assiduis votis sacrificijsque fatiga-
 rent, donec aduenas latè regni finibus arcerent. Alijs
 deinde atque alijs legationibus Cortesium à Mexica-
 no itinere retrahere conatus est. Zempoalenses armis
 Mexicanorum vectigales effecti, cum Cortesij ad-
 uentum, eaque quæ fortiter aduersus Pontoncha-
 nos gesserat intellexissent, ad Cortesium venere, re-
 rum suarum statum & Motezumæ potètiã, Mexi-
 canorûmque tributorum difficultatem aperuere, pe-
 tentes auxilium aduersus exactionum acerbicatem,
 & Mexicanorum vim atque superbiam. Cortesius
 ubi animaduertit in hoc quoque climate libidine domi-
 nandigentes transversas agi & lethalibus armis decer-
 tare, inito cum Zempoalensibus foedere, ijsque bono
 animo esse iussis, Mexicani illos tributi solutione libe-
 rauit, & Tizapanziucanum Motezumæ præsidium,
 quod Zempoalensium agrum propter tributi vecti-
 galisque recusationem infestabat, armis oppido dece-
 dere

*Motezuma
 Cortesium Me-
 xicanis regnis
 arcere nititur.*

*Zempoalenses
 Cortesium a-
 deunt.*

dere compulit. Urbis deinde aduersus fortunæ incertos casus condendæ consilio, veræ Crucis coloniam deduxit, vbi cum depositis Didaci Velasqui Cubensis præfecti auspicijs, à nouæ urbis magistratu, nomine Caroli imperatoris, veræ Crucis totiusque continentis præfectus declaratus esset, assumptis nouis titulis relictóque ibi Petro hircio Prætore, naues ad littus ferri & inter se collidi passus est, magnanimo prorsus consilio, vt omnem socijs militibúsq; spem fugæ præscinderet. Inde totus in Motezumam conuersus, nequicquã dissuadente deprecantéque Tendillo, Mexicanam expeditionem suscepit. Exitinere Zempoalenses adiit, à quibus humaniter susceptus & 1000. seruiijs Indicis donatus est: hos Tamañes patriâ linguâ vocant, qui cuncta armorum onera, commeatum & minora tormenta trahebant, aut succollantes humeris portabant. Cortesius hinc discedens Idolorum cultum aboleuit, ciuitatisque mutato nomine Siuigliam nouam siue Hispalum nominauit, coeptumque iter prosequens duodecimis castris Zaclotanam urbem attigit: cum vlteriùs tenderet in medio circumiectæ vallis, murum ingentem deprehendit, qui duorum montium crepidines claudebat: altitudo erat nouem pedum, latitudo videnos pedes æquabat, dispositis ordine propugnaculis, quæ quadraginta passuum spatio distinguebantur, angusto tantum in medio transitu, denum passuum latitudine, itinerantibus relicto: Ktacmixtlitani aduersus subitas Tlascalensium perpetuo-

Vera Crucis colonia.

Cortesius Mexicanum iter suscipit.

Tamañes.

Zempoalensium idola abolentur.

Ktacmixtlitanorum murus.

*Tlascalēses ar-
mati, Cortesij
iter impedire
nituntur.*

petuorum suorum hostium incursiones, hunc murum
erexerant protraxerantque. Tlascalenses Cortesij
aduentu exterriti, ob famam Pontonchanæ cædis, hic
armati occurrere, cum nonaginta armatorum milli-
bus, ut Cortesium finibus suis arcerent; sed Hispani
vico occupato eo euentu pugnarunt ut temere incur-
rentes, sclopis, tormentorum bombis, equorumque
stupendâ specie, & multâ passim cæde facile sustine-
rent, multis quoque mortalibus captis: quos omnes
Cortesius dimisit, & per Marinam Tlascalensibus
suis referre iussit, plurimum se mirari cur frequentes
aduersus se armati conuenerint, cum in nullo vnquam
illos læsisset, expeditioque non aduersus Tlascalenses,
sed Mexicanum Motezumam suscepta esset. Hisce
rebus intellectis ingens statim animorum commuta-
tio in Tlascalensium exercitu facta est, nam Tlasca-
lenses, infesti perpetuique Mexicanorum hostes, ubi
aduersus Motezumam à Cortesio exercitum duci
cognouere, ab armis ilicò recessere. Ipse Xicotecu-
catlus supremus gentis magistratus ad Cortesium ve-
nit, excusans quod per errorem in armis suos habuif-
set, petenti que pax data est; ex eo tempore in hodie-
rum vsque diem Tlascalenses maiestatem Hispaniæ
Regum agnoscunt, tributorum expertes. Cortesius
continuato itinere Tlascalam venit, ubi magnâ om-
nium lætitiâ exceptus est, obuiam effusâ ciuitate cum
coniugibus & liberis. Mexicanis mirum in modum
displicebat pax cum Tlascalensibus hostibus suis inita;

Itaque

*Pax cum Tlas-
calensibus ini-
ta.*

*Cortesius a Tlas-
calensibus visus.*

Itaque Motezuma, quantūnuis peregrinam gentem
 odisset, per legatos tamen Cortesio sua sit, ne villo mo-
 do salutem suam Tlascalensibus committeret, qui a-
 liud loqui, aliud pectore clausum gerere consueuissent;
 5 pauperem & egenum populum, facilè ad scelus &
 perfidiam impelli posse, esse non procul isthinc Ciol-
 lolam vicinam & amicam urbem, hominum fre-
 quentiā celebrem & omni commeatus genere abun-
 dantem, posse Cortesium tutò eò commigrare, vn-
 10 de ex propinquo melius de communibus rebus acturi
 sint: itaque ad iustitiam Motezumæ Ciollolam pro-
 fectus est, comitantibus penè centum Tlascalensium
 millibus, sed in itinere dimissā copiarum meliori par-
 te, sex tantūmillia retinuit. Motezuma interpositis
 15 multis difficultatibus, cœptum denuò iter per legatos
 omnibus modis dissuadere cœpit: offerebat inter cæte-
 ra Cæsari sese vectigalem facere, annuūque cēsū
 persolvere, si Cortesius Mexicanū iter omisisset. Sed
 cum nullis quantūnilibet amplis precibus, speciosisue
 20 oblati cōditionibus, à sententiā abduci posset, Mexica-
 nis re deliberatā optimum esse, & expedire visum est,
 in vrbe Ciollolensi gentem hanc exteram opprime-
 re: communicatōque super eā re cum Ciollolensium
 primoribus consilio, facilè inter illos conuenit. Mexi-
 25 cani ad hoc facinus patrandum euocarant triginta ex-
 peditorum Indianorum millia. Sed Ciollolenses pa-
 rum tutum æstimabant eiusmodi militarem manū
 intra mœnia admittere: Itaque Mexicanorum exer-
 citum

*Motezuma
 Cortesium à
 Tlascalensibus
 alienare niti-
 tur.*

*Ciollola cele-
 bris vrbs.*

*Cortesius Ciol-
 lolam proficif-
 citur.*

*Motezuma ite-
 rum Mexica-
 num iter dis-
 suadet.*

*Mexicani Cor-
 tesio insidias
 struunt.*

citum duobus indè passuum millibus confidere iusse-
 runt, sese porrò inuisum hoc genus hominum, liga-
 tum subactúmque in Mexicanorum manus traditu-
 ros receperunt: indignantibus Mexicanis, qui eâdem
 operâ, & concidere Cortesij exercitum, & occupare 5
 oportunam urbem in animo habebant; Ciollolenses
 tamen in itæ pactionis memores, vxores liberósque in
 deuios auíosque montes deportabant. Inter hæc Ciol-
 lolensis quedam nobilis matrona instantis periculi cõ-
 scia Marinam monebat, vt & illa secum paulisper se- 10
 cederet, ne simul cum alijs suis dominis occideretur;
 Itaque indicio Marinæ proditione euulgatâ detectâ-
 que, Cortesius iuuantibus Tlascalensibus Zempoa-
 lensibusque, impetu in ciues facto, paucis horis Ciol-
 lolensium sena penè millia sunt cæsa, vrbs direpta est. 15
 Tlascalenses auxiliares, quorum in terris neque gossi-
 pium neque sal prouenit, vestem bombycinam om-
 nem, salisque ingentes cumulos asportarunt: Hispanis
 aurum factum infectúmque cecidit. Qui superfuerant
 ex magnâ clade, metúque profugerant, deprecátibus 20
 postero die Tlascalensibus, in gratiam recepti sunt,
 Motezumæ verò implacabilius irascebatur. Itaque
 conuersus ad Mexicanos legatos illis edixit, non pas-
 surum sese iniuriam hãc inultam, sed fidei violatorem
 Motezumam, Mexicanósque qui sub regno eius es- 25
 sent, sibi in animo esse ob iniurias armâque per sum-
 mum scelus illata iusto pióque bello persequi. Mexi-
 cani oratores factum constanter excusabãt, & culpam
 in Aca-

*Ciollola diripi-
pitur*

*Cortesius Me-
xicanis bellum
denunciat.*

*Mexicanorum
purgatio.*

in Acacuicanos & Azacanos Ciollolensium fæderatos reijciebant, blandiendó que tantum effecerunt vt Cortesio persuaderent, non esse quod quidquam de suo rege sinistri suspicetur, qui inde ab initio syncerâ illum fide dilexit & coluit, venientí que omnia benignitatis munia in vrbe Mexicanâ exhibiturus esset. Cortesius hisce persuasionibus delinitus Ciollolâ mouit, retentis tantum $\overline{\text{vi}}$. Tlascalensium millibus, reliquos Indianos diinisit. Motezuma quantumuis aliud atque erat præ se ferret, reuerà tamen Cortesij aduentum perhorrescebat: audiens itaque illum in itinere esse, & Tlascalensium hostium suorum auxiliarem manum adducere, missis oratoribus impensius rogare institit vt Mexicanam profectionem omitteret. Sed Cortesius qui iam tantum Motezumam spectabat, nihil intermisso itinere Themistitanam vrbe ingressus est. Motezuma igitur totus, in simulationem officij beneuolentiæque compositus, ad primum fere ab vrbe lapidem magno nobilium procerumque comitatu venienti Cortesio obuiam processit. Gestabatur Motezuma humeris quatuor primorum regni procerum, sub vmbellâ, auro, plumis intertextis scite exornatâ: tanta vndiquè hominum multitudo vias fenestrasque & vrbis compita compleuerat, vt haud facile discerneres, plus Indi animo admirationis conceperint conspectis Hispanis barbatis, equorum tormētorumque nunquam antea visis formis, an Hispani visâ innumerabili hac virorum feminarumque vnâ in

Cortesius Mexicanam versis proficiscitur.

Cortesius Mexicanam urbem intras Cortesius.

Motezuma in p. v. v. q. dicit.

Motezuma in Cortesio p. v. v. q. dicit.

H vrbe

vrbe multitudine, Motezuma Cortesium cum cætero militum, Indianorúmque comitatu, ad maius celebriúsque palatium deduxit, paucísque cum Cortesio collocutus mox ad aliud palatium diuertit. Mexicanæ vrbis amplitudo sitúsque inaccessibleis, & inhabitantium incredibilis & penè infinita multitudo, Cortesium in summam admirationem traxit, sollicitum tamen reddidit, iámque veniebat in mentem Ciollo-
 lensis factionis quódque antè triduum Mexicanorum Indianorúmque insidijs penè oppressus fuerat, obser-
 uabatur quoque oculis designati sibi palatij hospitijque situs quem eiusmodi esse contemplantur, vt si quid aduersus se auderent Mexicani, tanquam ergastulis clausus teneretur, nullo modo inde euadere posset. Quibus malis vt occurreret, vocatum ad se Motezuma-
 mam per aliquot dies sub custodia tenuit: postea dimissus comitérque habitus se suáque omnia dedit, cunctosque imperij sui populos ad auctoritatem Hispaniæ Regum contulit, magnámque auri vim Cortesio tradi, thesauris que regijs, quantumuis frementibus & indignantibus subditis, inferri iussit. Sed siue quod deditio-
 nis leuiter factæ peniteret, siue ab alijs instigatus populares rursus ad rebellandum animasset, contractis secreto plus quam centum Indianorum millibus, Cortesium ad se vocauit summa postulatum erat, vt vrbe Mexicanâ totiusque regni finibus excederet: Cortesius, quasi nullam moram decedendi facturum, nauium tantum penuria sese detineri respondit, pate-
 retur

Cortesius Motezuma sub custodia tenet.

Motezuma imperatori sese dedit.

Motezuma à Cortesio petit vt Mexicanis regnis decedat

retur itaque iuberetque continuo materiam cædi, na-
 uesque commodè fabricari ac instrui. Huic petitioni
 cum haud grauatè annuisset Motezuma, citis nun-
 cijs à maritimæ oræ custodibus allatâ syndone Hiero-
 5 glyphicis Mexicanorum notis depictâ contextâque,
 nunciatum est quindecim nauium classem veræ Cru-
 cis portum subiisse, eâque aduehi octoginta equites,
 cum octingentis peditibus & aliquot æneis tormentis:
 Ad primum huius classis nuncium re ad secretius con-
 10 cilium delatâ, erant qui Motezumæ suaderent, vt
 Cortesium cum omnibus militibus statim e medio
 tolleret, antequam nouo milite, equis, tormentisque
 recreatus, vires augetet, Hispanicæque legiones illis
 terris assuescerent. Sed causâ in concilio ventilatâ vi-
 15 cit illorum sententia, qui recipi in urbem nouum hunc
 militem satius ducebant, ne intellectâ suorum clade
 factâ ad naues fugâ è manibus elaberentur: spectatam
 quippe & vtilem magis fore hanc victoriam interne-
 cione cæsâ totâ gēte, pluribusque captiuis in causam sa-
 20 crificij restantibus. Motezuma itaque de aduentu hu-
 ius classis Cortesium certiozem fecit: postmodum Pe-
 trus Hircius Cortesio nunciauit Pamphilum Narue-
 sium hac classe à Didaco Velasquo missum, vt eius
 actiones turbaret: Sed Naruesius cum à veræ Cru-
 25 cianis receptus non esset, Hispalim nouam secessit,
 vbi ab Indis, qui Cortesij illum socium & amicum esse
 putabant benigniter receptus est. Cortesius necessario
 sibi Veræ Crucis profectionem suscipiendam ratus, vt

*Pamphili Nar-
 uesij aduentus.*

*Cōsultatio Me-
 xicanorum.*

*Cortesius iter
 aduersus Nar-
 uesium parat.*

*Cortezius cau-
sam sui itineris
Motezuma a-
perit.*

Naruesium sibi conciliaret, aut reuentem armis re-
pelleret, antequam aliquas turbas in continente exci-
taret, aut aliquam seditioni causam daret: Motezu-
mam adiit, retulitque illi aduenisse nuper nouâ hac
classe, aliquot amicos sociosque suæ gentis, quos quâ
fama esset ad se contendere, & Themistitanam vr-
bem versûs iter parare: & cum ipse in animo haberet
breui Mexicanis terris decedere, consultius sibi visum,
apud classem illos continere quosque instructis de-
ductisque nauibus ipse quoque naues conscenderet &
in orientem vela intenderet, petere itaque se ut dum
ipse abesset, fratres sociosque suos cum auri argenti-
que aceruis quos Mexicanâ in vrbe relinqueret, in fi-
dem custodiâque suam reciperet. Sese vicissim pro
taciti beneficij haud ingratâ memoriâ in Motezumæ
gratiam simulatque fabricatæ deductæque essent na-
ues, relictis Mexicanis regnis, pacato agmine domum
vnde venerat reuersurum. Motezuma quia iam bre-
ui in itinere fore Naruesium satis sciebat, & vtrius-
que militem vnâ victoriâ debellare cupiebat, pau-
cis placide respondit, omnia se ex fide, quæ cuperet
facturum. Cortezius itaque Themistitanâ in vrbe re-
licto Petro Aluarado cum CC. militibus, magnis
itineribus aduersus Naruesium contendit, stolidè que
tumescentem & ferocientem, paucos post dies ex im-
prouiso, nihil tale suspicantem, classe militibusque
exiit, ipsomet Naruesio capto, sed parum abfuit quin
Aluaradus Mexicanâ in vrbe relictus interea, ab In-
dianis

*Petrus Aluara-
dus in Mexi-
canâ vrbe reli-
ctus à Cortezio.
Naruesius ca-
pitur.*

dianis cum omnibus suis cæderetur, nam Mexicani,
 arreptis armis Aluaradum obsederant. Sed audito
 Cortesij aduentu, qui capto Naruesio redibat, omnes
 dilapsi sunt. Post paucos tamen dies haud absimili de
 5 causâ sed pertinacioribus animis denuò ad arma con-
 sternati, palatium coronâ cinxere, cumque lymphatis
 similes ultra centum hominû millibus ingruerent, ne-
 que falconum aut ingentium sclopetorum ictus per-
 horrescerent, eorûm ue metu ab inceptâ obsidione di-
 10 moueri aut reuocari possent, & iam in palatij arcem
 euasuri viderentur, Cortesius à Motezumâ petijt, vt
 furentem populum placaret, suâque autoritate à per-
 tinaci oppugnatione retraheret: sicuti alias quoque
 Motezuma ad Cortesij nutum, imperij potestatem
 15 verbis explicauerat, tali euentu vt haectenus semper
 etiam in atrocioribus mādatis Motezumæ iussis obe-
 dirent. Motezuma itaque hortante Cortesio, vt nunc
 quòque tumultuantes reprimeret, in superiore porti-
 cus parte, aut vt alij malunt, in murorum aggere cum
 20 vno purpuratorum, protectus duorum militum cli-
 peis, protectus popularibus suis Mexicanis que populis
 sese exhibuit. Viso Motezumâ, alto silentio defixi
 paulisper quieuere; Motezuma vehementi obtesta-
 tione pro iure imperij postulabat, vt ab armis recede-
 25 rent, neue vltius aduersus Cortesium aut Hispanos
 tenderent, sed æquis animis periniquam hanc fortu-
 næ sortem ferrent ne grauius tumultuando, quem ser-
 uare contenderent, irritatis animis, omnino perde-

*Petri Aluara-
di periculum.*

*Mexicanorum
motus*

*Motezuma ni-
titur popularē
motum sedare.*

rent. Tum Quicuxtemocus siue Quahutemocus, procax linguâ & in manu iuuenis populari gratiâ (quando iam pusillanimitatis Motezumæ omnes pertæsi essent) ad regnum destinatus; intento sursum arcu, Motezumam increpans, semiuirum esse, & mulie-
 bria improperebat: nullisque amplius Mexicanos ei-
 dem legibus obstrictos vociferabatur, proinde non
 esse, quod in posterum obedientiam ab vilo expectet,
 postquam pusillanimitate animi fastigio regni decide-
 rit, & seruili probro aspersus cunctis Mexicani impe-
 rij populis ludibrio factus sit, desertor suorum fidelis-
 simorum subditorum, quibus regni tuendi & noui Re-
 gis eligendi animus esset. Simul vndiquè saxa ingere-
 bantur: Motezuma itaque lapide ictus interijt. Me-
 xicani tamen nihilo segnius repugnantes Hispanos ex-
 pulere: In hoc receptu siue discessu, Mexicanorum
 libris relatum est Motezumam interfectum esse, vt-
 cunque fuerit haud equidem in magno ponam discrimi-
 mine, constat Motezumam in hoc Mexicanorum
 motu perijsse. Cum Motezumâ Mexicanorum re-
 gum familia intercidit: regnatum in Mexicanâ vrbe
 omnino sub regibus nouem per annos. C. XXX. post
 DC. XIX. annos quam à Chichimeicis Mexicana terra
 primùm occupata fuit. Cortesium recedentem Tlas-
 calenses confæderati benigniter recepere: vnde mox
 rediens urbem Mexicanam acri obsidione pressit, &
 post tertium mensem, & sexaginta acerrimas dimi-
 cationes cœpit, captòque rege Quahutemoco Mexi-
 cani

*Motezuma in-
 terijt.*

*Mexicana
 vrbs à Cortesio
 capta.*

cani domiti temerariæ rebellionis poenas dedere: cap-
 ta est vrbs Idibus Augusti, anno à partu Virgineo
 M. CCCC. XXI. Subactis Mexicanis Cazonus Me-
 chuacanæ prouinciæ rex, missis oratoribus, impera-
 5 tori se suaque dedit, beneficiarioque iure ab illo tene-
 re professus est, dedentibusque sese passim alijs popu-
 lis, Cortesius cum opima pace frueretur, expiatis rite
 templis, Christo & Deiparæ virgini solemnes aras
 10 dicauit, restaurandæque vrbi (quæ præcedentibus mo-
 tibus penè euersa erat) intentus, Mexicanam ciuita-
 tem in hanc quam nunc retinet amplitudinem euexit.
 Et cum Mexicanas regiones auro scaterere, & gem-
 mis margaritisque abundare, nec longè abesse Ocea-
 num varijs percunctationibus didicisset, nouam ex-
 15 peditionem ad detegendam occidentis maritimam
 oram suscepit, totumque Australe nouæ Hispaniæ lit-
 tus ad vsque Culiacanas & Californiæ terras nauigãs,
 Rubrum mare quod alij Cortesij vocant detexit. Sic
 20 vt meritò post Columbum & Nunnium Valboam,
 detecti occidui orbis præcipuus honos Cortesio defe-
 ratur. Occiduarum hanc terrarum detectionem, &
 Mexicani regni translationem, atque immutationem,
 Cometes multo lumine ex Orientis partibus coruf-
 cans denunciasse creditur. Ipsi Mexicani flammam
 25 tem tremuloque splendore micantem ex Guastacano
 sinu & Veræ Crucis portu venientem, ab oriente ad
 occidentem ferri multo tempore conspexere. Quam &
 humana effigie augustiorem speciem cuius caput inter
 nubila

Mechuacana prouincia deditio.

Templorum erectio in Mexicanâ vrbe.

Cortesij nauigationes.

Mare Cortesij.

Prodigia translationem Mexicani regni antecedentia.

msb

nubila condi videbatur, Mexicanis apparuisse ferunt: Ingentia quoque bellatorum agmina Hispanico ritu in aëre decurrere visa sunt. Quæ res sermonibus occasionem præbuit, futurum vt Motezumæ tempore, barbati ex vltamarinis regionibus ablatum naturalibus imperiũ vsurpent. Tezcucanus & Tlacopanus regulus consternati nouitate eorum quæ afferebantur, Motezumæ improperabant, aëriorum horum bellatorum arma vestimentaque in nihilo differre ab ijs que penès se recondita habebat. Cùmque petentibus iterum regulis vt prolatum gladium vaginã educeret, neque Motezuma quantumuis totis connixus viribus ferrum dimouere posset, pro infelici omine gentes, quantumuis barbaræ, accepere. Motezuma vt offensos regulos placaret, multa excusando, persuadere illis nitebatur arma vestimentaque illa in maiorum suorum archiuis reposita asseruatque fuisse. Visum est quibusdam arcam illam vestiariam in maris littore repertam, cum à maritimis habitatoribus ad Motezumam cum gladio pariter & aureo annulo delatam fuisse. Ab alijs relatum est, præfatos regulos conturbatos fuisse ad conspectum munerum, quæ Cortesius ante aduentum suum Motezumæ per Tendillum præfectum misit, subiisse tum primum cogitationem, armis exuuiisque eiusmodi, legiones in aëre depugnasse. Sed hisce omnibus memorabilior est visio apparitiõ que, quæ paulo ante Cortesij aduentum cunctis Mexicanis inspectantibus sese obtulit: Captiuus quidam

dam in expiationem regni cum multis alijs idolis sacrificandus hostia ducebatur: is detestatus ferales ritus, verum Deum coeli supplex inuocans vt sui miseretur, multis lachrimis orabat: Protinùs duo viri veste candidâ amicti deprecanti visibiliter astiterunt, hortantes, moriturus bono vt animo esset, quando cæleste numen cui sese enixè commendauerat illi propitiaretur: sacrificulis tamen idolorumque ministris denuntiaret, crudelem laniensæ & sacrificij morem, primo quoque tempore disiectis prophanis aris finem habiturum, iamque in procinctu esse quibus huius rei executio demandaretur, hæreditariumque harum terrarum imperium, venturis temporibus cõcederetur. Inter has voces miser sanguine suo terram consperfit, multi astantium nouitate rei attoniti, verba interfecti mactati que antè aras, & vultum habitumque istiusce modi præconũ accuratè notarunt: postmodum disiectis Mexicanâ in vrbe idolorum simulachris, expiatisque templorum delubris, cum Angelorum figuras, alis albâque insignes, depictas conspicerent, præcedentis visionis personas habitumque agnoscebant pariter & mirabantur. Parte aliâ fortuna sub annum sesquimillesimum quingentesimum vigesimum quintum, vastas immensasque Peruuianarum prouinciarum terras, inexhaustis opibus celebres aperuit, ductu Frãcisci Pizarri, deuicto & capto potentissimo rege Atabalixâ. Huius conquisitionis initia & progressus, nunc quoque breuiter recensere instituti operis ratio monet.

*Peruvia siue
Peruana prouincia detectio
per Frãciscum
Pizarrum.*

I In ciui-

In ciuitate Panamanâ quæ in faucibus Isthmi illius sita est, qui Australes Americæ terras Mexicanis cæterisque septentrionalibus regionibus coniungit, cõmorabantur Frãcisus Pizarrus, veteranus miles, Hoiedæ quondam infortunijs clarus, Didacus Almagrus & Ferdinandus Lucius, qui cum opulentiâ atque facultatum copiâ cæteros longe anteirent, communicatis inter se fortunis omniûmque bonorum societate initâ, in id vnum erant intenti, vt nouâ stupendâque nauigatione, detecto aliquo terræ tractu nominis sui æternam memoriam ad posteros transmitterent: hæc inter se quotidianis sermonibus agitando, eo deuenere vt proponerent, occidentalia littora æquatori vicina aut subiecta, nouâ perquisitione tentare, quum Vafquij Valboæ, & Cortesij labor, alios terrarum tractus magis septentrionales detexisset. Franciscus itaque Pizarrus, cui ex societatis capitulis audendi proficiscendique prouincia euenerat, impetratâ nauigandi veniâ à Petro Ariâ Terræ firmæ siue Darienis cõtinenti præfecto, instructâ diligenter brigantinâ siue myoparone, post diuturnam ignoti littoris explorationem cum C. XIII. militibus ad Peruanam obscuram & ignotam tunc temporis gentem appulit; à Peruano littore ad Ambustorum gentem venit, sed occurrentibus passim barbaris infestis telis, amissis aliquot militibus, ipse in prælio ictus retrocedere & in propinquiorem Isthmo portum deflectere coactus est. Almagrus interea cum fausti benignique rumores de

Francisci Pizarrum Almagrum & Ferdinandum Lucium societas.

Franciscus Pizarrus ad explorandum missus.

Almagri nauigatio.

de Pizarro subinde vulgarentur, adornato instructo-
 que nauigio in quo septuaginta viri fortissimi erant,
 Pizarrum sequutus, similem nauigationem aggressus
 est, delatusque ad Sancti Iohannis portum, qui cen-
 5 tum passuum millibus à Panamaide distat, nusquam
 inuento Pizarro, lustrabundus tamen institutum cur-
 sum profequens, circa hæc littora hæsit: sed cum Pi-
 zarrum ad Ambustorū fines penetrasse intellexisset,
 huc quò que contēdit, nihilo tamen benigniorem for-
 10 tunam expertus est, nam ingruentibus barbaris vene-
 natis sagittis, Almagrus infœlici ictu altero oculo or-
 batus est, multisque suorum cæsis, in fugam actus,
 cum paucis ad naues fugiendo vix euasit. Damni ta-
 men accepti solatium fuit Pizarri inuentio, quem ini-
 15 quo hoc littore discedens consequutus est. Tum qui-
 dem inter se gratulatione factâ, communicatisque cõ-
 filijs viribusque, instructis duabus nauibus & tribus
 Indicis Canois cum. CC. militibus eidem sese rursus
 nauigationi accinxere, inquâ pericula laborésque gra-
 20 uissimos perpessi sunt: littora namque ingentium flu-
 minum, quæ à præcelsis rupibus, magnis ostijs in pe-
 lagus euoluuntur, agmine vndarum obruta & con-
 strata sunt, cæcisque occultorum vadorum syrtibus
 infestantur, difficilémque aduenis exscensionem præ-
 25 bent; quin & ipsa hæc fluminum ostia stridentibus im-
 manibusque hydris plena sunt, quæ XX. aut XXV. pe-
 dum longitudinem æquant aut excedunt, Indi Cay-
 manes vocant, hæc magnâ vbique frequentiam flumi-

*Almagrus ab
 Ambustis male
 mulctatus.*

*Pizarrus &
 Almagrus cõ-
 iunctis viribus
 exploratum
 proficiscuntur.*

num accessus obsidentes, diram proficiscentibus cladem inferunt: In terram quoque exeunt ova reposituræ quæ in arenâ littoris recundunt, vt solis calore excludantur, tardo incessu per arenarum acervos gradiuntur (Niloticis Crocodillis per similes) si quid in aquis sentiant confestim ad ima detrahunt & dilaniant: canibus præcipue delectantur. Harum belluarum incursum Pizarrus & Almagrus magna sæpius, dū littora illa perlustrât, incommoda accepere. Incredibili insuper fame premebantur, cum absumpto longinquâ peregrinatione commeatu, in regione incultâ neglectâque nihil ad victum alimoniamque præparare aut nancisci possent, præter vnos littoralium retarum, quas manglas vocant, fructus insuaues & insipidos ac muriaë falsugine infectos. Quamcūque in partem proras conuerterent aderant infesti barbari, qui telis veneno infectis, nauigantes sine intermissione fatigabant, probrosisque clamoribus onerabant, quod orbis terrarum exules, & veluti nebulonum scurrarumque sentina ab omnibus expulsi in modum piratarum vagabundi errarent. Hisce circumuenti difficultatibus cum etiam ex CC. militibus vix LXXX. incolumes superessent, communi sententiâ placuit Almagrum ad nouum, in mortuorum locum, legendū militem proficisci: interea Pizarrus ad Galli insulam secessit, vbi inter summas angustias delituit. Sed Almagrus dum procuratis negotijs scriptisque militibus ad Pizarrū redire cogitaret, à Petro Rio Isthmi Darienis

Almagrus Panamam reuertitur.

Pizarrus ad Galli insulam venit.

Almagrus Panamam reuertitur.

rienis præfecto præter expectationem retentus est,
 quod milites pertæsi periculosa & infructuosa nauiga-
 tionis, per litteras clam præfectum rogassent, ne plu-
 res in profectionem omni periculorum generi obno-
 5 xiam abducendi Almagro potestatem faceret, utque
 sibi redeundi licentiam daret, Didaco igitur Almagro
 Panamæ retento, præfectus, reliquis per Tafurum le-
 gatum suum recedendi potestatem fecit: deserto itaque
 relictoque Pizarro, Panamam pene omnes rediere,
 10 sic ut ex LXXX. militibus, duodecim tantum multis pre-
 cibus deliniti apud Pizarrum remanserint, inter quos
 recensentur Nicolaus Riuerius, Petrus Cretenfis, Io-
 hannes Torræus, Alphonsus Brisenius, Christopho-
 rus Peralta, Alphonsus Trugillanus, Fraciscus Cue-
 15 larius, & Alphonsus Molinus. Quos Pizarrus blan-
 da oratione cohortatus, ut paululum sustinerent, me-
 minissentque ad ingentis laudis honores diuitiasque
 enitentibus, per omnes difficultatum angustias fortif-
 sime gradiendum, eaque in vitâ demum dulcissimâ
 20 suauissimâque accidere, quæ magnis laboribus peri-
 culorumque angustijs parta essent; hisce dictis confir-
 matos ad sustinendas fortiter secum quascunque pre-
 sentis inopiæ angustias animauit, sed paucitatis suæ
 conscius, non ausus illic morari, ad Gorgonam insu-
 25 lam deflexit. Didacus Almagrus ægre obtentâ veniâ,
 vnâ nauî com meatum Pizarro in Gorgonâ degenti
 submitit, sine vlllo tamen militum supplemento, Pizar-
 rus itaque neque hic propter suorum exiguum nume-

*Pizarrus à mi-
litibus suis de-
feritur.*

*Pizarrus se-
cum remanen-
tes adhortatur.*

*Pizarrus ad
Gorgonam de-
flexit.*

rum diuitius ausus morari, relictâ Gorgonâ naues cō-
 scendit, perpetuisque iactatus ventorum tempestati-
 bus, aduersique maris furenti æstu, id tandem littus te-
 nuit, quod inter S. Michaëlis, & Trugilli colonias est.
 Sed cum præ suorum paucitate longius progredi non
 auderet, ouium gregem ad Chiræ amnis ripas depas-
 centem cum aliquot barbaris cœpit, inde fugienti si-
 milis Tumbæum peruenit: de eâ vrbe ex barbaris di-
 dicit, celebrem quondam fuisse, regiâmq; Perua-
 norum regum celeberrimam habuisse, sed Punen-
 sium insulanorum irruptione prope euersam, à pristi-
 no nitore decidisse. Pizarrus cum nonnullos dies ex-
 plorabundus hic hæssisset Panamam redijt post trien-
 nium quam inde recesserat. Et quum conatus suos à
 Præfecto Darienis impediri animaduerneret, in His-
 paniam contendit; expositâque Cæsari Carolo suæ
 nauigationis fortunâ, huius regionis detegendi præfe-
 cturam petijt, & obtinuit. Confectâ itaque classiculâ
 Panamam redijt, comitatus quatuor fratribus, Fer-
 dinando, Iohanne, Francisco Martini, & Consaluo,
 quorum postremi semigermani, ipse Franciscus &
 Consaluus diuersâ matre orti naturales erant. Alma-
 grus cum intellexisset Pizarrum in conuentionum ta-
 bulis, pro suo commodo omnia cum Cæsare transe-
 gisse, oblitumque amicitiae & opis antea præstitæ nul-
 lum sibi locum reliquisse, vehementer commotus,
 Pizarro implacabiliter irascebatur, intercedente tamē
 Ferdinando Pontio, promissâ aliquâ imperij portione,

Alma-

*Tambæum
 urbs.*

*Pizarrus Pa-
 namam uener-
 situr.*

*Pizarrus in
 Hispaniâ profe-
 ctus Peruiam
 præfecturam à
 Cæsare petit.*

*Pizarri fra-
 tres Francis-
 cum comitantur*

*Almagrus Pi-
 zarro iratus
 eum fueris.*

Almagrus in præsentiarum quieuit. Pizarrus instructâ
 liburnicâ cum fratribus in altum prouectus, aliquan-
 tō tardius, quàm secundùm regionis littorísque natu-
 ram conueniret, Peruuinum littus tenuit, exposiís-
 5 que militibus ad Coaccios populos peruenit. Hi con-
 tinuis negotiationibus exercentur, terrámque habent
 omnicommeatus genere abundantem, & ingēti sma-
 ragdorum prouentu nobilem, cuius opulentix fidem
 vt faceret Pizarrus, eâque spe ad signa sua plures mi-
 10 lites confluerent, smaragdorum specimen & aureo-
 rum nummum triginta millia quæ apud Coaccios
 hosce populos conflarat duabus celocibus Panamiam
 remisit, inde ad Portum Veterem concessit vbi casas
 colonix que fundamenta moliri instituit. Ad famam
 15 Peruuianorum diuitiarum, Benalcazar & Iohannes
 Foresius, duabus nauibus, cum singulis equitum pe-
 ditumque turmis, ex Nicaraguâ soluentes Pizarrum
 consequuti, oportunum illi auxilium attulere. Portus
 Veteris rebus constitutis cum verrucarum serpigine
 20 militum ora infestarentur, Tumbæum processit, at-
 que in insulam Punam continentis littoribus obiectam
 traiecit. Insula hæc aquæ dulcis cum primis, & pisciū
 ferarumque copiâ abundans, incolas habet gnauis in-
 genijs & natiuâ virtute præstantes, obiectis sibi littorū
 25 accolis formidabiles, multâ nauigandi peritiâ vicinis
 cogniti, quâ Tumbæum quondam expugnatū euasta-
 runt. Nauigant enim duobus tignis super tabulatis,
 lignorum sic contignatorum basi, ne fluctuum assultu
 seden-

*Pizarrus in
Peruuiam na-
uigat.*

Coaccij Populi.

Portus vetus.

*Benalcazaris
et Iohānis Fo-
resij aduentus.*

Puna insula.

*Punensium
nauigia.*

sedentes molestentur, asserum contabulationem superstruunt, tantæ firmitudinis atque capacitatis ut equos perferat, & amplius quinquaginta vectores traducendos excipiat, quantumuis solo funium nexu iuncta & colligata ea sit compages. Punenses, priusquam Pizarrus traiceret, aduenarum hanc manum antequam littoribus hisce assuesceret, & maiore appellationum indies numero augeretur, finibus suis arcere cupiebant, sed cum æquo Marte nihil proficerent, ad notas fraudes delapsi, Pizarrum militesque nauigijs siue pontonibus suis receptos, dissolutis tignorum vinculis subito demergere decreuerat, perfecissentque; sed siue Philippilli & Francisci Pohecanorum interpretum iudicio, detecto dolo, siue quia barbaris nunquam fidentum esse præcedentibus militiæ suæ tyrocinijs Pizarrus didicerat, milites districtis gladijs intentissimè remiges obseruare iussit, eaque singulari industriâ cladem auertit, nam barbari deterriti micantium gladio- rum fulgore, à fædo incepto destitère. Exscensione in terram factâ, Pizarrus humaniter à gubernatore susceptus, sed postea fallacissimæ gentis infidijs penè oppressus est, nam copijs oportuno loco abditis, eruptioneque in sequentis noctis tempus destinatâ, legatos de pace & communibus rebus transigendis ad Pizarrum miserant, oratione in perfidiæ simulationem tam aptè composita, ut Pizarrus syncerè secum agi crederet, neque tantum fraudis perfidiæque rudibus barbarorū ingenijs inesse suspicari posset, itaque prolixè collaudatos

Punenses Pizarricis insidiantur.

Diligentia & prudentia Pizarrici.

Punensium perfidia.

Punensium perfidia.

datos benigno responso dimisit. Sed ubi rem certius
 cognouit magna cæde incautos nihilque tale timentes
 oppressit, in sulamque populabundus percurrit; postero
 die barbari canois suis, nihilo segnius lembis Pizarricis
 5 adnauigantes, Consaluum Pizarrũ qui nauibus præ-
 sidio relictus erat, magnã vi adorti, penè circumue-
 nerant, cum nullo suorum damno, aut sclopettorum
 tormentorũque fragore deterreri, vel vt cederent
 impelli possent, iamque vulnerato in femore Consal-
 10 uo, non dubia clades imminebat, nisi in tempore à
 Francisco Pizarro submissum equitum præsidium,
 nauium propugnatores, cæsis quam plurimis barba-
 ris, metu periculòque liberasset. Tumbæum inde pe-
 15 demulcēdos accolarum animos & noui beneficij gra-
 tiam ineundam ratus, sexcētos vtriusque sexus capti-
 uos carceribus liberatos, domum remisit, missis vnã
 tribus militibus, qui regionis vrbisque situm cognos-
 cerent. Sed barbari simul atque terrã contigēre, bene-
 20 ficij accepti immemores, omnisque humanitatis ex-
 pertes, tres hosce Hispanos, barbarã superstitione, ve-
 luti receptæ libertatis hostias, idolis suis crudeliter im-
 molarunt: eadem fors Ferdinandum Sotum, Flori-
 dæ postea Adelantadum mansisset, qui nauigio cap-
 25 tiuos aliquot in aduersum amnem Tumbæo vicinum
 deducebat, nisi à Didaco Aquerio & Roderico La-
 sannio de Indianorũ perfidiã edoctus, mutato cursu ad
 suos celeriter rediisset. Tumbæi maritimæque oræ

Tumbæo del-
 lano Pizarro
 mouent.

Tumbæanos
 captos à Puzar-
 ribus Pizarro
 dimittit.

Puzarri
 Tumbæo del-
 lano.

Colonia 2. Mi-
 cencia.

Puzarri

K

acco-

accollæ interea iubentibus regulis dynastisque, cum
 vxoribus, notâque supellectile deserto littore, ad mō-
 tes celeriter perfugerant: quæ res Pizarri conatus re-
 tardauit, nam barbari scaphas canoâsque quibus in
 terram exponere milites posset, fugientes abdidierant:
 per summas itaque difficultates expositis tandem co-
 pijs, Pizarrus Tumbæum processit, missisque ad vi-
 cinos barbarorum principes legatis, vt metum depo-
 nerent, ad colloquia conferenda, armisque omisis
 pacem amicitiamque firmadam inuitabat. nusquam
 benignè audita legatio est, sed infesti exterorumque
 perosi, pabulatum profectos, aut comineatum quære-
 tes longius à socijs progressos, repentinâ incursione
 opprimebant: cuius pertinaciæ contumeliæque vindi-
 candæ causâ, Pizarrus sub vespertinum crepusculum
 cum quinquaginta equitibus Chiram amnem traiecit,
 celeriterque inde per asperos ignotisque mōtium cal-
 les in aurorâ ad hostium castra peruenit, barbarosque
 rei nouitate attonitos, tumultuarie pugnam excipien-
 tes, castris exiit, omnibusque belli calamitatibus af-
 flixit, donec pacem petentes oratores mitterent cum
 aureis argenteisque muneribus. Huius victoriæ succes-
 sus, Tangaranæ prouinciæ regulos accollasque, ad pa-
 cem amicitiamque similiter illexit. Coloniam inde S.
 Michaëlis ad Chiram fluuium in Tangaranâ valle
 deduxit, portumque Paytam, quo Panamâ Ni-
 caraguâque descendentibus, fidelis tutusque receptus
 esset, communiuit. Pizarrum hisce rebus intentum,
 legati

*Tumbæi bel-
 lum Pizarro
 mouent.*

*Tumbæum
 capto à Pizarro
 sub Pizarro
 dicitur.*

*Pizarrus
 Tumbæos supe-
 rat.*

*Colonia S. Mi-
 chaëlis.*

Payta portus.

legati Guascaris Ingæ adière, opem aduersus vim & iniuriam Atabalipæ orantes, nam Atabalipa Gynacauæ filiorum minimus, pro regni Quitonici possessione fratri bellum mouerat. Hunc Gynacaua pater, 5 Quitonico regno subiugato & in prouinciam redacto, cum ob loci amoenitatem diutius ibi permansisset, relictis Cuscone Guascare cum duobus alijs filijs, Mangone & Paulo, ex alia vxore genuerat, eumque supra modum diligebat, Cusconemque reuersus, in 10 Quitonico regno paruulum nutririiusserat, cumque aliquamdiu Cusconicâ in vrbe hæssisset, Quitonici agri & Atabalipæ filij, quem præ cæteris diligebat, visendi desiderio ductus, cum Atabalipæ filij consuetudine & aspectu sese oblectasset, legato eidem Quitonico reg- 15 no, vitâ excessit. Atabalipa defuncto patre legatis nuncijsque statim ad Guascarem missis, parentis mortem deplorans, & foelicem fratri paterni regni Ingariatum siue imperium precatus, petijt vt eius pace atque consensu, legati sibi Quitonici regni extra 20 Cusconici imperij limites remoti, possessionem cõcederet. Sed Guascar auersatus Atabalipæ petitionem, regni Quitonici possessionem nullo modo sibi dimittedam censuit, quia sine imperij Cusconici eneruatione nullo modo fieri posset, Atabalipæ nihilominus si conceptâ 25 regni cupiditate volütariè liberalitérque decederet, in eius rei detrimētique cõpensationem alia loca offerebat cum immēsis regiæ gazæ thesauris, quibus securæ vitæ trāquillitate, regij splēdoris decus tueri posset, sin cõtra

Guascaris Inga legati ad Pizarrum veniunt.

Atabalipa Gynacana filius.

Atabalipa defuncto patre Quitonici regni confirmationem à Guascare fratre petijt.

Guascaris responsum.

*Atabalipa præ
occupat fratri
bellum mouere*

*Atabalipa ca-
pitur.*

*Atabalipa effu-
git.*

*Atabalipa re-
parat bellum.*

tenderet & regni cupidine abriperetur, eidem renun-
tari iussit tum sese regnum vindicaturum & Atabali-
pæ temeritatem armis prosequaturum. Atabalipa in-
tellectâ fratris voluntate celeri anticipatione hostiles
fratris conatus opprimendos cogitauit: itâ que expedi-
to milite progressus, ingentia terrarum spatia à Qui-
tone austrû versûs inclinantia inuasit: iamque Tume-
bambam vsque peruenerat: Hic Guascar cum infesto
exercitu occurrit, atrocissimâque trium dierum dimi-
catione, cum militum numero superior esset, Ataba-
lipam magnâ principum militumque strage, qui cir-
ca illum memorabili morte dimicando ceciderant de-
uicit, & viuum coepit: Victoria ista non in huius mo-
dò prælij gloriam, sed ad totius belli summam pro-
fuisse, nisi insolentia vulgi pulcherrimam huius rei oc-
casionem corrupisset. Nam que Atabalipa, cû Guas-
carianus miles frequenti cantu & in multam noctem
extractâ potatione de victoriâ triumpharet, effracto
muro fugit, & saluus ad suos Quitonem redijt. Vbi
reparatis viribus, vt suos in spem melioris fortunæ eri-
geret, à patre Gynacauâ sese in serpentem transfor-
matum per rimulam euasisse, certâque sibi à patre
aduersûs Guascarem victoriam promissam ementie-
batur, si virilibus animis acceptæ cladis labem elue-
rent, & incepto forti obuiam hostibus irent; Hisce lu-
dibrijs confirmatis suorum animis, educto rur sus ex-
ercitu, primum Guascaris exercitum multis secundis
commisissis prælijs fudit atque fugauit, inde fortunam
sequens

sequens ducem, Cusconem versùs contendit, atrocissi-
 màque crudelitate Canares populos aggressus, regio-
 nem euastasse & plus quam LX. hominum millia in-
 terfecisse creditur. Tumbæum inde progressus, ciui-
 5 tatem destruxit totùmque hoc Peruuix latus quod à
 Quitonicis finibus ad Caxamalcam vsque extenditur
 subiugauit, Punam inde obiectam Tumbæis littori-
 bus insulam quoque tentauit, sed magnâ suorum stra-
 ge repulsus incepto abstinit, cùm Guascarem fratrem
 10 numerofo exercitu aduentare certis explorationibus
 didicisset. Guascaris itaque legati Pizarrum adiere
 orantes auxilium aduersùs manifestam Atabalipæ re-
 bellionē. Pizarrus Guascari Regi nunciari iussit, cau-
 sam ipsius sibi curæ fore, sic dimissis legatis Ferdinan-
 15 dū fratrem Tumbæum remisit, vt militū manipulos
 qui istic adhuc hærebant properè adduceret. Ipse inte-
 rim ad Sancti Michaélis fanum contendit, relictis que
 illic antiquis debilitatisque militibus cum reliquis Cax-
 amalcam aduersùs Atabalipam contendit. Guascar
 20 propterea quod Pizarri aduentum expectabat Cuf-
 conicam ante vrbem statiuam habebat. Atabalipa qui
 antea fratrem Guascarem magnis itineribus aduen-
 tare audierat, miratus quænam illum res teneret,
 Quisquisium & Calicuchimam strēnuos duces cum
 25 quinque hominum millibus Cusconem vsque præcur-
 rere hostiùmque consilia, & situm castrorum explo-
 rare iussit. Qui cum haud procul ab hostium exercitu
 essent, vt latentiores hostem fallerent, propiùsque

Atabalipa Punam insulam tentat.

Legatorum Guascaris peti- tio.

Pizarri respo- sum.

Atabalipa Cufconicam ante urbem statiuam habebat.

Quisquisium & Calicuchimam strēnuos duces cum quinque hominum millibus Cusconem vsque præcurrere hostiùmque consilia, & situm castrorum explorare iussit.

sine periculo hostilibus stationibus succederent, alterius
 viæ diuerticulum ingressi, Guascarem venationi
 intentum, longiùsque à castris cum octingentorum tã-
 tum hominum comitatu prouectum obuium habue-
 runt; Atabalipani ad primum hostium conspectum 5
 arma expediunt, Guascarẽ circumfistunt, & nihil au-
 sum capiunt. Ad famam capti regis, quæ paucorum
 fugã per medias hostium stationes in castra non pro-
 cul inde perlata erat, primò stupor & metus omnes
 inuasit, dehinc pudore amissi regis accensi, Impera- 10
 tori & commilitonibus à paucis grassatoribus inter-
 ceptis subueniendum esse conclamarunt; sumptis itã-
 que armis & expansis quam longissime alis ne quã
 hostis fallere aut elabi posset, Atabalipanos adsequuti,
 ingenti coronã circundedere: iã inque instans dimica- 15
 tio, & ingens regem reposcentium clamor penè om-
 nes ita exanimauerat, vt cõtra Guascarianos ordines
 ac coronam, trepidi nihil auderent. Sed duces Ata-
 balipani nouo consilio Guascarem circumfistunt, stri-
 ctòque ferro terribili voce præsentem mortem com- 20
 minantur nisi suos illico inde faceffere iubeat: tũ Guaf-
 carem inter libertatis spem, & præsentis mortis me-
 tum æstuantem, tantus repente horror stuporque in-
 uasit, vt vitã libertati præferens, vehementi obsecra-
 tione ab incepto suos desistere iusserit, miserque in cer- 25
 tã suorum victoriã, victus & captus manserit: Guaf-
 cariani tanquam supremo erga reluctantem princi-
 pem officio functi, cum operam suam regi suo inuti-
 lem

*Guascar Inga
 ab Atabalipa-
 nis capitur.*

*Guiscarianus
 exercitus in
 auxilium sui
 Imperatoris
 properat.*

*Atabalipano-
 rum ducum
 presentis consi-
 dium.*

*Guascarianus
 exercitus dila-
 bitur.*

lem esse viderent dilapsi dispersique domos suas abié-
 re: ita Atabalipa nullo resistente Caxamalcam victor
 tenuit: Pizarrus audito Guaascaris infortunio, confe-
 stim per vastas Motupianas solitudines Caxamal-
 5 cam versus iter intendit: in itinere Atabalipæ lega-
 tum obuium habuit, pictos deauratosque calceos,
 aureasque armillas Pizarro deferentē, vt quum his
 indutus veniret, ab Atabalipā internosci posset: Pi-
 zarrus dimisso legato coepto itineri institit donec Ca-
 10 xamalcam contingeret. Altera hic Atabalipæ legatio
 occurrit, ferociter vetans ne absque Atabalipæ con-
 sensu hospitium desumeret. Sed Pizarrus nullo dato
 responso castra more militari locauit & communiuit.
 Ferdinandum deinde Sotum ad Atabalipā cum vi-
 15 ginti equitibus misit, vt Atabalipæ voluntatem, qui
 inde mille ferme passibus confederat, pacem an bel-
 lum mallet certius intelligeret. Sotus cum equitibus
 prouectus ad vsque hostium castra, cum liberiore &
 20 concitatore cursu procurreret, ingentem barbaris ter-
 rorem attulit, & cum nonnulli fugā aut corporis de-
 clinatione, in se ruentium equorum impetum deuital-
 sent ne currentium pedibus protererentur: hos Ata-
 balipa vt alijs metum demeret interfici iussit: nam
 Atabalipa Hispanorum paucitatem equorumque nū-
 25 quam visum impetum contemnebat: Miacabalica
 quippe Pochechicanorum regulus necdum expertus
 equorum ferociā aut Hispanici mucronis aciem cum
 per legatos de aduenarum aduentu Atabalipam mo-
 nuisset,

*Pizarrus Ca-
xamalcam ver-
sus mouet.*

*Atabalipa le-
gati ad Pizar-
rum.*

*Altera Ataba-
lipæ legatio.*

*Barbari equo-
rum cōspectum
vitant.*

nuisset, per contemptum addiderat, barbatos hosce
 exiguo tantū numero aduenisse, lassiduoque proficis-
 cendi labore adeo fatigata corpora trahere, ut immensi
 itineris magnitudine victi pedibus ulterius progredi nō
 possint, ideoque ouibus grandioribus vectos insidere,
 quos ut terrorem alijs incutiāt equos vocitent. Cæterū
 venientem ad se Sotum Atabalipa nullo alloquio dig-
 natus, per interpretem Pizarri postulata excepit: post-
 modum missus Ferdinandus Pizarrus, quæ in man-
 datis à fratre habebat breuiter exposuit: nempe Fran-
 ciscū Pizarrum traiecto enauigatoque Oceano, Re-
 gis Hispaniarum auspicijs aduenisse, ut de commu-
 nibus rebus cum ipso transigeret, regisque sui nomine
 pacē amicitiamque firmaret. Atabalipa solam eam
 superesse cōcordiæ amicitiaque ineundæ conditionem
 respondit, si Pizarrus ex templo regnis illis decederet,
 aurique & argenti spolia quæ Punensibus Tumbæis
 que abstulisset statim restitueret, tum licere illi ut de
 cæteris disceptaturus ad se Caxamalcanam in regiam
 veniat. Ita Ferdinandus re infectâ dimissus, prælio
 decernendum fratri suo renunciat, plurimâque de ho-
 stium castris ac multitudine commemorans, haud
 dubia timoris signa edebat: Sed milites interritis & in-
 uictis animis omnem spem in diuinam opem, suasque
 dextras contulerant. Ipse Pizarrus paucis suos cohor-
 tatus, equites omnino sexaginta quos habebat occul-
 tos, loco ad insidias oportuno confidere iussit, ipse pe-
 ditum ducendum suscepit. Atabalipa in aciem simili-

ter

Pizarri Ca-
 xamalcanam
 in montem

Atabalipa le-
 gatus ad Pizar-
 rum

Ferdinandi
 Pizarri & A-
 tabalipa collo-
 quium.

Atabalipa res-
 ponsum.

Pizarri ad
 Caxamalcanam
 in regiam

ter descendit, locandisque ordinibus intentus Ruminaxim ducem cum quinque militum millibus in caua valle pugnae signum expectare iussit, ut auersos in pugnam hostes, nihil tale metuentes adoriretur, aut refugientes exciperet. Ipse sublimis Satraparum humeris auream lecticam gestabatur: praecedebant treceti delectae iuuentutis, regijs insignibus conspicui, a tergo purpuratorum turba sequebatur aureis quoque gestaminibus insignes, tanta victoriae fiducia ut solo aspectu Christianos in fugam sese acturos confiderent: nam equorum pristinus ille terror, qui Miacabelicae denunciatione satis refederat, cum equum nullum conspicerent, omnem timorem Atabalipanis ademerat: ipse Atabalipa in subiectam Caxamalcanam urbis planitiam progressus, Hispanorum manum nullo equum praesidio firmatam despiciens, Pizarrum nihil ausurum existimans, iam illos, inquit, tenemus. Interea Vincentius Valuerdrus Episcopus, bibliorum sacrum codicem manu gestans, qui de creatione mundi, humani generis lapsu, restitutione aliisque indubitata fide a Christianis credita, satis longa oratione explicauit: addens summo aeterni numinis beneficio Carolum V. Hispaniarum regem, praefectum suum huc destinasse, ad synceram eius opinionis fidem publicandam, ut sacra religione imbutus in caelestis hereditatis ius atque partem cum subditis suis cooptari possit: quod si huius religionis placita amplecti, & beneficiario iure in Carolo Caesaris clientelam concedere velit, egregie ipsum suae cum primis suorumque saluti & paci atque

*Ruminaxis in
insidijs ab
Atabalipa col-
locatus.*

L

quieti

quieti consulturum, sin veræ religioni idololatriam
 & paci bellum atque vim præponere in animum in-
 duceret, Pizarrum ferro & igne & quibuscunque bel-
 licarum ærumnarum incõmodis vniuersum regnum
 euersurum. Atabalipa paucis respondit sese foelici vi- 5
 ctoriâ Guascaris fratris superbam fortunã euertisse,
 eó que belli iure capto, in suam potestatem vertisse,
 idcõ que nihil sibi eorum quæ Pizarrus regis sui nomi-
 ne agitaret curæ esse, neque scire quorsum tẽdant quæ
 de nouâ religione Christianorum loqueretur, quando 10
 nullos ex maiorum suorum recepto præscripto Deos,
 præter Solem & Pagacainam agnosceret, mirum esse
 vnde hæc ipsi adferatur. Cum codice, Antistes, quem
 manibus tenebat omnia contineri dixisset, Atabalipa
 suscepto codice, versatisque aliquot folijs subridendo 15
 eundem abiecit, addens: nihil sibi hunc librum fari.
 Tum ad suos recurrens Antistes, retulit quæ viderat
 Atabalipanæ contumaciæ signa. Pizarrus intelligens
 vltius cunctadum non esse, fratribus suis cum equi-
 tibus ex insidijs consurgendi signum dedit, ipse aduer- 20
 sũs primum agmen, in quo Atabalipa vehebatur, im-
 petum fecit. equites eodem momento tripartito agmi-
 ne inuecti, tormentaque in confertas barbarorum ca-
 teruas immissa ingentem miserorũ stragem edidẽre,
 nam catenis ardentibus ferreisque globis puncto tem- 25
 poris integræ virorum cohortes discerpebantur. In-
 cumbentibus ferociter equitibus, Atabalipani metu
 præcipites in suos conuersi pro se quisque equorum ob-
 tritu

*Atabalipa res-
ponsum.*

*Prælium Pi-
zarrum cum Ata-
balipa.*

tritu eripere sese contendebat. Ingens certamen circa
 regiam lecticam contractum est, quod quidquid inter
 barbaros roboris erat, ibi ad supremam opem inten-
 tum paratūque staret, & seruandi regis magis quā
 5 sui periculi memores gestantes baiuli, alij alijs incredi-
 bili celeritate succederent. Pizarrus metuens ne suis
 continuā pugnā defatigatis, barbari quantumuis in fu-
 gam palati, vires resumerent, atque praelium regis ser-
 uandi causā redintegrarent, suos cohortatus, incumbi
 10 atque vrgeri acrius iubet, ibi prope nouo certamine
 coepto, Hispanorum globus obiectos acerrimē pug-
 nantium cuneos perrupit, & ad regem per barbaro-
 rum itolidē in vltimam dimicationem pugnantium
 aceruos peruenit. Illum trepidantem, cædemque ac
 15 fugam suorum circumspectātem, Pizarrus arreptum
 promissā cesarie lecticā detrahere nitebatur, tantū-
 que lecticam impellentium impetentiūque Hispa-
 norum ardor erat, vt Pizarrum, detractum lecticā
 regem retinentem, vulnerarent. Capti soloque deiecti
 20 regis rumor, fausto militum clamore vulgatus, velu-
 ti omni amissā spe, barbaros omnes in fugam dedit,
 tantā ruentium vi, vt dum pro se quisque primum
 effugiendi locum quærit, miserabili se inuicem impe-
 dientium turbā inuoluerentur, ac nisi murum Caxa-
 25 malcanæ vrbis aream cingententem, metu vires ad-
 dente perrupissent, multi mortales nouissimis primos
 impellentibus proculcātibusque, compresso intra vis-
 cera spiritu suffocati periissent. Ruminaxis auditistor-

*Pizarrus Ata-
 balspā lecticā
 deiecit & capio*

*Ruminaxis fu-
84.*

mentoribus, cum frustra erumpendi signum expectasset, inter primum tumultum Quitonem iter intendens profugit. Nusquam ab omni hominum memoriâ tantum prædæ militantibus celsit, iacebant toto campo aureæ argenteæque occisorum exuviæ quæ omnem auaris etiam ingenijs auri sitim demere potuissent: ultra ingentem aureorum argenteorumque vasorum operosis artificijs elaboratorum multitudinem, solius Atabalipæ castrensis supellex sexcenta aureorum millia excessisse fertur. Atabalipa cum captum se videret rogauit vt comiter pro pristina sua fortunâ secum ageretur, spondens si à Pizarro pristinae libertati restitueretur, in redemptionem illam præter amissam direptamque supellectilem tantum sese cælati auri argenti que impensurum, vt quadratam aream Caxamalcanæ regiae, quouisque exportatis brachijs contingere posset oppleret. Pizarrus stupens ad tãti promissi amplitudinem, cum Atabalipæ oblationem omnino sibi acceptandam duxisset, Atabalipa è vestigio in omnes partes ac præcipue Cuzcum, ad totius prouinciæ thesauros Caxamalcam comportandos, citos nuntios misit, breuique ingens auri copia in castra delata est, maiorque indies comportabatur, promissi tamen perficiendi impossibilitas quam Hispani animis cõceperant, præsertim cum receptæ promissionis tempus effluxisset, effecit vt suspicari cõperint, inanibus tantum verbis, sese à rege, aliud in illorum perniciem moliente, nouasque copias con-

*Atabalipa pro-
missio.*

*Pizarro dicitur
dixisse quod
dixit et capere*

5 contrahente, delusos & ludificatos, vt reparatis interea
 viribus, fractisque carceribus effugeret. Atabalipa
 sentiens quàm apud suspicacia ingenia magno in dis-
 crimine sua salus versaretur ex dilatione promissi au-
 10 ri, cum Pizarro multis super eâ re egit: subdens neque
 tantum temporis promissi elapsum esse, vt moram
 importandi auri, iniquâ interpretatione ad frustrandi
 artes detorquere deberent, quâdo non diligētiae inter-
 missione, vlla auro conuehendo mora facta sit, sed lo-
 15 corum interuallo, præcipue Cusconæ vrbis distantiâ:
 neque esse quod eum quidquam nouaturum timeant,
 quem carcere & vinculis clausum in suâ potestate te-
 neant. Si certissimis tamen istis rationibus à conceptâ
 fraudatæ fidei opinione abduci non possint, mitterent
 20 ipsimet legatos Cusconem, qui præsentia suâ auri con-
 uectionem festinarēt. Cum super hac re sentētis va-
 riaretur, existimantibus cunctis periculosum esse, in-
 fidæ barbarorum genti cuiusquam salutem commit-
 tere. Fertur Atabalipa subrisisse, cur enim iter ingredi
 25 fideiue suæ committere sese vererentur, dum interea
 ipse cum vxoribus & liberis vinctus obses asseruare-
 tur. Missi itaque Ferdinandus Sotus, & Petrus Ba-
 rus, hi vsitatis in gestaminibus, expeditis sexaginta
 barbarorum humeris ferebantur, qui citato gressu
 30 iter capebant, alijs atque alijs eodem fere numero
 per distincta viarum spatia succedentibus. In itinere
 Atabalipanos duces qui Guascarem captiuum trahe-
 bant obuios habuerunt: Guascar compellans legatos

*Atabalipa ex-
cusatio.*

*Ferdinandus
Sotus & Pe-
trus Barus
Cusconē mit-
tuntur.*

*Legatorum &
Guascaris collo-
quium.*

rogabat, ut omisso Cusconico itinere, ad Pizarrum
 redirent, suisque verbis peterent & obtestarentur, ut
 quando ambobus iam fratribus in suam potestatem
 redactis, totius provinciae imperium fortuna illi subie-
 cisset, æ quo iure litem hanc & de imperio quaestionem
 dirimeret: quod si faceret, & Atabalipæ promissis sese
 plenissime satisfacturum, & ulterius Caxamalcanæ
 regiam ad usque summum tectorum fastigium solido
 auro contecturum, quod sibi exequi facillimum esse
 prædicabat, quando paternorum thesaurorum ineffa-
 bilem cumulum possideret, neque sibi necessum foret
 sacrilegâ manu, templis ornamenta detrahere, sicuti
 Atabalipa faceret, qui pro redemptioe suæ promissio-
 nis, Cusconicum Solis delubrum spoliare instituisset.
 Erant vera quæ Guascar adferebat, nam in ipsis fra-
 terni belli inijs eam ipsam paternorum thesaurorum
 gazam, magno fossarum numero occultissime defo-
 derat, omnesque eius rei conscios barbarâ feritate im-
 misso crudeliter milite trucidarat. Sed Sotus Baruf-
 que, siue quod captivi regis infirmam spem, quasi im-
 possibilia polliceretur riderent, siue quod destinatae le-
 gationis suæ munus intermitteri non posse existimarent,
 nihilo segnius Cuscum versus perrexere: benigne ta-
 men compellato Guascare, cuius causam expeditis
 Cusconicæ legationis negotijs cordi sibi fore promit-
 tebant. Atabalipa præmissis citis nuncijs de aduen-
 tu Guascaris, colloquioque cum Ferdinando Soto
 Baroque habito certior factus, facile periculum suum
 æsti-

*Atabalipa cō-
 sideratio & ne-
 quitia.*

æstimans, si Guascaris postulata ad Pizarri aures per-
 uenissent, fratris interimendi consilium coepit, cuius
 facinoris deliberatione estuantem, à concepto scelere
 tardabat, quod institutis Christianorum acceperat
 5 fratricidia certis ingētibusque supplicijs vindicari: Ita-
 que in lachrymas & mærorem cōpositus, cum sæpius
 illachrimando cibo potūque ac omni aliâ ciuili con-
 uersatione abstinendo luctum satis simulasset, percū-
 ctanti Pizarro doloris causam, Guascarem fratrem,
 10 audito captiuitatis suæ infortunio à præfectis suis præ-
 cipiti vindictæ studio è medio sublatum esse, respon-
 dit, cuius mors tantum animo suo luctus attulerit quã-
 tum fraternæ conditionis ac necessitudinis ius postula-
 ret; summo enim sese eum semper perpetuæ venera-
 15 tionis cultu obseruasse, & quamquam belli fortu-
 na captiuum in potestatem redegerit, non eam sibi
 vnquam mentem fuisse, vt vel regni fastigio deijcere,
 aut vitâ illum mulctare in animum duceret, spectasse
 enim sese tantum Quitonicæ prouinciæ paterno sibi
 20 testamento legata fortunam & pacificam possessio-
 nem. Pizarrus Guascarem communis naturæ leges
 impleuisse miserando commonstrans, rogabat Ata-
 balipam bono vt animo esset, si iniquum adeò id sibi
 facinus videretur, posse de homicidio quæstionē exer-
 25 ceri, postquam præsentis belli tumultus resedissent.
 Atabalipa sentiens conceptum fraternæ necis scelus
 eleuari posse, maturare facinus statuit, itaque extē-
 plò ducibus suis clā interficiendi Guascaris negotium
 dedit,

*Pizarri conso-
latio.*

*Guascaris
mors.*

dedit, quod tantâ celeritate patratum est, vt nunquam satis resciri potuerit, vtrum ante cædem, an post eam cõficti luctus simulationẽ ediderit. Ferdinandus Sotus Barúsque Guascarianæ mortis inuidiã penè conflagrarunt. Seditio militaris deinde siue Guascaris miseratione, siue auri ferendi morã suscitata Atabalipæ mortem quæ paulo post secuta est, secus ac sperauerat, accelerauit. Captiuum deinde aurum diuisum est. Regium vectigal cccc. Castellanorum millibus æstimatum est, equiti octo aureorum nummum milia, & d. CLXX. argenti libræ: pediti III. M. CCCCL. Castellani auri & CCLXXX. argenti libræ cessere. Capitanei singuli triginta argenti, & quadraginta aureorum millia abstulere. Pizarro vt Adelantado & expeditionis Peruuianæ præfecto, plus cæteris euenit: mensam quoque solido auro fabrefactam quæ in lecticâ Atabalipæ fuerat & xxv. Castellanorum millibus æstimata creditur, præcipuam habuit. Didacus Almagrus intellectâ fortunâ Pizarri, maximamque deuicto Atabalipâ auri vim in castra eius conferri, ex antiquâ bonorum communionẽ aliquam huius opulentiaẽ partem affectans in tempore adfuit: huic Pizarrus vt aliquali animi gratitudine incolumem adhuc pristinaẽ familiaritatis memoriam declararet, exulceratumque hominis animum leniret, centum aureorum Castellanorum nummum millia donauit, militibusque eius quantumuis in nullam capti regis, de iure, fortunam admittendi viderentur, singulis virum

*Partitio auri
Peruiani.*

*Didacus Al-
magrus in Pe-
ruianam venit.*

*Didacus Al-
magrus*

viritim CCCC. aureos diuisit. In tantâ auri argentique
 affluentia, plurimi qui damnato nefandæ aleæ lusu,
 delatam sibi partem dissiparant sordidi & egeni alio-
 rum fortunam suspiciebant. Alio insuper malo auri
 5 argentique possessores premebantur, nam multipli-
 catis loculis, subito omnium quoque rerum caritas in-
 uasit, nam ocrearum aut caligarum par xxx. Castel-
 lanis, cappa Hispanica centum aureis, vini mensura
 xx. aureis appretiabatur: equorum quoque ultra mo-
 10 dum, ad tria, quatuor aut quinque ducatorum millia
 auctum est pretium: tenuitque quasi malo damna-
 tam, hæc rerum omnium caritas sequentibus aliquot
 annis hanc prouinciam. Vectigale aurum cum rela-
 15 tione huius Peruvianæ expeditionis Pizarrus per Fer-
 dinandum fratrem ad Imperatorem transmisit. Plu-
 rimi militum tam vastâ prædâ aucti impetrato com-
 meatu in patriam remeantes famâ Peruvianarum di-
 uitiarum, totam Hispaniam compleuere, materiâ-
 que vulgi sermonibus præbuere, arrectis plurium ani-
 20 mis in rerum nouarum & similis arridentis fortunæ
 spem. Petrus quoque Aluaradus veteranus Cortesij
 miles, qui pacatis Mexicanis regnis, Guatimalam
 Darienis Isthmo proximam subegerat, permissuque
 Cæsaris gubernandam susceperat, intellectâ Peruvia-
 25 norum regnorû affluentia, instructis aliquot nauibus
 atque liburnicis in spem Quitonici regni occupandi,
 ad portum veterem exscensione factâ, per Arcabuxios
 montes secundum æquinoctij circuli tractû, post varios

*Auri Affluen-
 tiam omnium
 rerum Caritas
 insequitur.*

*Quinta regia
 siue vectigale
 aurum Ferdin-
 andus Pizar-
 rus in Hispan-
 iam defert.*

*Petrus Aluara-
 dus classe in Pe-
 ruuia cõtendit*

M

labores

*Aluaradus
difficultatibus
Quitonici iti-
neris penè ex-
pugnatus.*

labores in Quitonicum tandem agrum peruenit. As-
peris hoc iter & incultis montibus penè inuium erat,
nam supra verticem nihil nisi rupes aut confragosæ &
infrugiteræ valles, sed torrida perustaque omnia sola-
ribus radijs conspiciebantur, nullis etiam vsquam fon-
tium fluuiorumque scaturiginibus propter loci aeris-
que inclemētiam emergentibus. In ea quoque regionis
parte mons cæteris excelsior erat, Hispani *Volcanes* vo-
cant, qui ad instar Siculæ A Etnæ igneas flammæ euo-
mit, itinerantesque bituminosis glebis defœdat. Per
inhospitas hæc terras, sibi met viam molientes erra-
bundis similes gradiebantur, labore, siti & inediâ con-
fecti, vna supererat miseris commoditas, quod magna
inijs aspretis copia arundinum esset, quæ matutino ro-
re madidæ mediocrem aquæ abundantiam arenibus
miserorum faucibus præbebant. Calentem hanc &
arentem æstu plagam, frigida madidâque regio exce-
pit, vbi plurimum molestiæ a moliēdis disijciendisque
niuib. insumptum est, quæ non montium tantum
vertices lateraque, sed & profundissimas valles aliè
contexerant. Rigebat in dextris ferrū, iamque præ ni-
mio frigore arma manibus corporibusque retinere aut
sustinere vix poterant: cum vias quidam scrutarentur
niuosis voraginibus hauriebantur, tantâque in sum-
mâ mordacissimi frigoris vis erat, vt euntium pedes in
ipsis vestigijs constringerentur: Sexaginta milites ob-
rigentibus membris veluti somno sopiti, exanimati, in
viâ hæserunt, inter hos quoque relatum est, cum vxorem
filiasque

filiâsque, quas adduxerat miles, viarum molestiâ fri-
 gorisq;ue intolerandis malis deficere, neque pedem
 amplius promouere posse cerneret, ipse in conspectu
 charissimorum pignorum obrigescere maluit, quàm
 5 celeri gradu com milites insequendo infœlicior bita-
 tis memoriâ cruciari. hisce igitur difficultatibus supe-
 ratis in plana viciniora Quitoni loca, aëris & vallium
 salubritate præstantia Aluaradus amissâ itinere pe-
 ne tertiâ suorum parte peruenit. Inde ad Almagrum
 10 & Benalcazarem opprimendos contendit, sed pace
 postmodum initâ, Almagrus summam centum mil-
 lium ducatorum pro insumptis in clasiculam & mili-
 tes impensis Aluarado dependit, quos postea Pizar-
 rus Aluarado numeravit, & Aluaradus ad Guati-
 15 malix præfecturæ functionem recessit. Fædus quoque
 post Cusconicum tumultum, leuiter satis, adiuncto
 sibi Soto ab Almagro suscitatum inter Pizarrum &
 Almagrum his conditionibus renouatum est. Vt Al-
 magrus ad Chiliacos populos detegendos proficisce-
 20 retur, quàmque ea in parte regionem occupare posset
 eam vt Cæsaris permissu Præturæ nomine obtineret.
 quod si nihil labore dignum occurreret, tum ipse & Pi-
 zarrus prouinciæ fines inter se partirentur. Sic Alma-
 grus in Chiliaces abiit, sed mox accepto Cæsaris di-
 25 plomate omissâ infructuosâ Chiliensium oppugnatio-
 ne, Cusconicum in agrû redijt, Cusconem occupauit
 & Ferdinandum atque Consaluum Pizarros cœpit,
 ita vt momento penè tantum durauerit huius fæderis

*Aluaradus ad-
uersus Alma-
grum proficif-
citur.*

*Pax inter Al-
magrum &
Aluaradum.*

*Fædus inter
Pizarrum &
Almagrum
renouatur.*

*Francisci Pi-
zarrus.*

*Consaluus Pi-
zarrus.*

renouatio, quæ res exitium Almagro postea attulit. Sed & ipse Franciscus Pizarrus fraude Didaci Almagri Junioris & Iohannis Erradæ circumuentus perijt neque Almagro impune fuit. Postea Consaluus Pizarrus arreptâ tyrannide, omnia cæde, ruinâ & incē-
5 dio compleuit, totâque prouinciam exactionum cō-
tributionibus, bellicisq; calamitatibus ita afflixit, vt odiosum & detestabile Pizarrorum nomen in Perua-
nis regnis, omni tempore sit futurum. Ipse captus in eâ pugnâ quæ in valle Xaquifaguanâ parabatur, per- 10
petuis militum suorum transitionibus desertus, arreptæ tyrannidis poenas dedit. Multi alij insuper viri ce-
lebres citra vltâque æquatorē ad occasum meridiem-
que nauigantes detectis immensis terrarum spatijs in-
gentem rerum gestarum famam retulêre: horum in- 15
ferius suo quandoque loco prout res incidet mētionem faciemus. Hæc nunc in genere, pro sequentium tabularum introductione sufficiant.

FINIS PRIMÆ PARTIS.



ORBIS TERRARVM
VTRVMQVE HEMI-
SPHERIVM.

5 **I**N PARTIVM vniuersi descriptione ve-
teres Geographi terrarum orbem in Eu-
ropam, Asiam & Africam diuisere: Eu-
ropa septentrionem, Asia orientem res-
picit, sed Africa meridiem versùs excurrit, quæ par-
10 tes sic sibi mutuo cohærent, vt continentis formam in
plano repræsentent. Asiæ cohæret Europa in partibus
septentrionalibus dorso terræ inter Mæotidis paludē,
& Sarmaticum Oceanum excurrente. In meridie
Asiæ iungitur Africa Isthmo Iudaico seu terræ angu-
15 stijs inter mare mediterraneum & rubri maris sinum
coarctatis, residuum vniuersi, veteres, aquis & spu-
mantibus vndique Oceani vndis concludi & impleri
crediderunt. Cumque vnaquæque prædictarum par-
tium vnâ ex mundi plagis infederit, solus Occidēs,
20 illorum opinione vacuus, nihil ex eâ diuisione obtinuit,
aut consecutus est. Huius quoque cogniti orbis partes,
duas tantum temperatas habitabiles, reliquas tres
propter frigoris immensi asperitatem, & perpetuum
gelu, aut nimium commeantis & impendentis solis
25 æstū, inhabitabiles esse existimabant. Sed rerum vsu
compertum est, veteres illos, quantumuis acres & in
illarum rerum disquisitione apprimè diligentes, toto
(quod aiunt) coelo errasse, neque plenam aut integrâ

*Veterum Geo-
graphorum or-
bis diuisio.*

*Veteres occidē-
tem terris va-
cuis esse puta-
bant.*

triquetrae continentis proposita notitia habuisse: quan-
 do ipse Ptolemæus, summus harum rerum indaga-
 tor, tantum octoginta latitudinis, & vnus semicirculi
 longitudinis gradus nouerit: ad quorum situm & pro-
 portionem cosmographiæ suæ descriptionem exten- 5
 dit. In septentrione namque extra suam descriptionem
 reliquit Islandiam, Lappellandiam, Norwegiam,
 Sueciam siue Gothiam, & Scaniam insulas, in meri-
 die magna Africae pars ipsius quoque cognitionem ef-
 fugit. Et iam recentiorum obseruationibus depræhen- 10
 sum est, partes illas orbis quas antiqui inhabitabiles
 iudicabant, non solum esse habitabiles, sed & com-
 modè habitari, muniente naturâ incolarum corpora
 aduersus caloris vehementiam, & frigoris intensi-
 riem, neque rursus omnia pontum, aut Oceanum 15
 patrem vasto maris fluxu atque refluxu agere aut im-
 plere: nam terrarum longè maxima pars Asiae & Afri-
 cae obiecta lateribus, Hispanorum & Lusitanorum
 nauigationibus nuper detecta est, quando a uorum no-
 strorum memoriâ, annuis & victricibus classibus orien- 20
 tem & occidentem peruagati, insinuatique terris in-
 cognitis, pleniorum harum rerum notitiam, vacuam-
 que antiquorum opinione Occidentem ingentibus ter-
 ris habitatum retulere. Vt iam deinceps quadriparti-
 to diuisâ uniuersi machinâ occidentem maximis opu- 25
 lentissimisque populis decoratum nostra ætas cõspici-
 at, cui tantum ab utroque æquatoris latere terrarum
 obuenit, ut merito multo maxima terrarum pars
 æstimetur:

*Orbis terra-
 rum ubique
 habitabilis His-
 panorum &
 Portugalorum
 nauigationi-
 bus deprehen-
 sus est.*

æstimetur quando in vtroque polo incipiat aut finia-
 tur, & secundum longitudinem ad vltimum vsque
 Occidentis limitem pertingat, Asiámque interceden-
 tibus tantùm Aniani freti angustijs, & interiacente Ia-
 5 ponum insulâ contingat. Incognitas hasce terras qui-
 dâ à Platone in Timæo sub nomine Atlantidis insulæ,
 quam terræ motu perijsse refert, descriptas esse autu-
 mât: alij Senecam poëtico oestro aut furore percitum,
 de hisce terris vaticinatũ arbitratur, de posteriore nihil
 10 moror: nam quidquid id sit, casu potiùs quàm ratione
 dictum esse arbitror, haud secus ac nostris temporibus
 anno M.D.LX. in Antwerpiensium comicis exhibitio-
 nibus, quædam circa sequentium temporum statum
 effusa feruntur. Sed Plato cum de Atlanticæ submer-
 15 sione loquitur non de aliquâ particularium terrarum
 inundatione, sed de generali cataclysmo agit, vt rectè
 & scitè monet Augustinus Eugubinus lib. VII. cap. V.
 perennis philosophiæ. Omnium verò primus incog-
 nitas hasce terras agnouit Euangelicus vates Esaias.
 20 cap. 18. & cap. 24. vbi de hisce terris adhuc agens,
 & coeptæ orationis filum prosequens, subiungit: *Se-
 cretum meum mihi.* quasi harum terrarum detectio in se-
 creto diuinæ mentis, nouissimis hisce temporibus re-
 seruata fuerit: quâ de re doctè & piè Frederic. Lum-
 25 nius lib. I. c. 12. de vicinit. extremi iudic. Dei. Et lib.
 2. c. 1. 4. & 5. vbi tamen ab eo cauendũ. cap. 3. quan-
 do post Theod. Zwinger. lib. I. theat. vitæ hum.
 Atlanticam Platonis, existimat esse nouum orbem,
 patrum

*Atlantica Pla-
tonis.*

patrum nostrorum memoriâ ab Americo Vesputio inuentum. Florentibus sanè Carthaginensium rebus, relatum est, mercatores quosdam extra Herculeum fretum, nauigasse ad terras quasdam incognitas nimirum ad Fortunatas, aut Capitis Viridis insulas, sed ad has terras quarum inuentio in mente diuinâ reseruata erat, delatos fuisse Carthaginenses, neque credibile est, neque veritatis apparentiam habet, propter viæ longinquitatem, & ingentem procellosi æquoris distantiam, quum neque triremibus, neque minoribus nauigijs eò transfretari potuisse certum sit. Verius itaque est, totum hunc terræ tractum veteribus incognitum mansisse, vsque ad reparatæ salutis annum M. cccc. xcii. quo tempore Christophorus Columbus Hispaniolam primùm detexit, mox secundâ nauigatione Dominicam, totumque Antillarum archipelagus, tertiâ deinde nauigatione Pariam & Cubaguan inuenit, postmodùm Fonduram, & occidentalis Indix Isthmum attigit. Dehinc Americus Vespuccius Florétinus, ductu Lusitaniæ regis, ultra æquinoctialem nauigans, & ad Moluccas transitum quærens, ad ingentem hanc continentem foelici sydere delatus, Americam à suo nomine nuncupauit. Quod nomen, nisi me fallit animus, retinebit semper, vasti dum stabit machina mundi. Americus ad Argenteum vsque fluuium progressus, subiens immēsi fluminis ostium, optatum ad Moluccas transitum sese inuenisse ratus, nihil vltra moratus, repetitâ nauigatione in Hispaniâ redijt,

Columbi nauigationum relatio.

Americi Vesputij nauigatione.

redijt,

redijt, Debebatur credo diuinâ dispensatione Ferdinando Magellano tantæ rei honos, qui postea anno reparatæ salutis vigesimo secundo post millesimum quingentesimum, vltorius versus Austrum nauigans, primus mortalium angustias illas inuenit aut superauit, & de suo nomine fretum Magellanicum nuncupauit. Neque quenquam mirari conuenit post antiquorum in describendo orbe diligentiam, & amplissimorum imperiorum potestatem & opulentiam, humanique ingenij diram ac insatiabilem auri famem, ad hæc nostra vltima vsque tempora, harum terrarum detectionem dilatam fuisse: quando vt dixi, detectionis illarum tempus latebat in secreto diuinæ mētis, quæ omnia disponit suauiter: Quis enim cognouit sensum domini, aut quis consiliarius ei fuit? quin hoc potius mirandum, quod ij qui postremi sunt vocatione, primi fiant deuotione, dum ex orbe nostro, ad vltimas vsque terræ partes, & paulò ante fabulosos antipodes, exagitata prauis dogmatibus tanquam indignabunda profugit religio. Sed ad rem: America ob immensam & incredibilem magnitudinem vnaminè geographorum & hydrographorum nostri temporis consensu, quarta totius orbis pars reputatur. Sunt qui quintam adijciant aut expectēt, quorum opinionem vt sequar, haud facilè induci possuin: nam australis terra quæ septentrionem respicit angustijs tantum Magellanici freti ab Americâ separata, ipsius potius portio censenda est, vt constet quadripartita diuisio, vnicuique

Ferdinã. Magellani nauigatio.

Magellanicum fretum.

Novi orbis detectio in mente diuina latuit.

America quarta orbis pars.

N

cardini

cardini suam terræ plagam assignans: aliterque reputantibus, Lappelandia, Suedia, Norwegia, Gotlandia, & Scania, quæ extra Ptolemæi descriptionem in septentrione remansere, & in oriente utraque Iava, maris orientalis insulæ, novæ quoque orbis partes integrales censerentur, cum tamen ab omnibus, nullo discrepante, Asiæ aut Europæ ascribantur. Fortassè rectius ille qui terrarum orbem tribus continentibus distinguit, quarum prima Europam, Asiã, & Africã, secunda Americã, lógo totius propemodùm orbis tractu supra & infra æquatorem, tertia Australem terrã paucis hæctenus tantum littoribus detectã comprehendat, quæ undique mari clausa, nusquam partium alicui coniungitur, sed undique spumante salo insulæ formã retinet, suis se claustris & munimentis continens. Hæc cõsideratio superiorem distributionẽ singulis cœli cardinibus peculiare terræ partes assignantẽ, nihil impedit aut impugnat. Neque Ptolemæus si in hæc tẽpora incidisset, aut terrarũ orbis integram notitiã habuisset, ab hac sententiã abhorruisset, quãdo quaecũque hoc suo tẽpore cogniti orbis spatiũ tribus continentibus se iunxit, lib. 7. cap. antepenulti. Et ut ipsemet interpretatur terrã habitabilẽ, tribus terræ firmæ partibus distinxit. Cæterum occidentalis huius Hemispherij tractus ubique circumnavigatus, & detectus est, præter illum qui ad septentrionem magis inclinatur, & in meridiei tractum contingit. Cæterum ex septentrione in meridiem descendentibus spectandam sese terra offert,

offert, sub formâ duarum peninsularum, quæ tenui
 & perexiguo Isthmo distinguuntur: quarum superior
 pars quæ septentrionem respicit, Hispaniam Nouâ,
 Mexicanam prouinciam, & infinitas alias terras cõ-
 5 prehendit: altera quæ ab æquatore in Austrum ver-
 git, humani cordis speciem præferens, Peruuiam,
 Brasiliam, Platam, Chicam plurésque alias prouin-
 cias continet, & Papagallorum terram respicit, à quâ
 freto Magellanico dirimitur. Cæterum in occiden-
 10 talibus hisce peninsulis, maximæ sunt temporum re-
 rûmque mutationes, quando & Zonis, & tropicis
 diuersimodè subijciuntur. Cõtemplatione tam vastæ
 tamque admirandæ magnitudinis, huius Hemisphe-
 rij tellus, à quibusdam India occidentalis vocatur, ab
 15 alijs noui & nuper reperti orbis nomine signatur, non
 quasi plures sint mundi, aut ita cum Democrito, Epi-
 curo, aut Anaxarcho cæterisque veteris sapiëntiæ ma-
 gistris, quorum iam dudum explosa est sentëntia, sen-
 tiendum sit: nam re verâ vnicus tantum est sol, vni-
 20 cus est mundus, & Iohannes Euangelista, & antè
 illum multis sæculis, Moyse vnus mûdi à Deo crea-
 ti disertè meminere, quod si plures fuissent, nequa-
 quam silentio hoc inuoluissent: vt mirum sit quorsum
 Ofiorum olim vesania euaserit, qui mundi pluralita-
 25 tem ex Christi veri, viuique verbi autoritate obsti-
 natè astruebant, quia Christus regnum suum non
 esse de hoc mundo testetur: nam inde non efficitur
 plures esse mundos, nam verè regnum Christi non

*Noui orbis for-
ma.*

*Noui orbis no-
men.*

est de hoc mundo inferiori & perituro scilicet, sed est spirituale & intellectuale, duras in æternum, & ultra. Eodem sensu loquimur, si quando ex mente scripturarum alterius mundi, alterius vitæ, aut sæculi mentionem facimus: & nos in hoc geographico opusculo, interdum noui orbis, aut noui mundi nomen usurpabimus, relatione factâ nō ad nouam aliquam mūdi constitutionem aut creationem, sed inuentionem & recentem detectionem: nam nostris hisce temporibus eadem & prorsus talis est mūdi constitutio, qualis ab initio olim erat cum cœlum & terram creauit Deus. & si verum amamus, noui orbis nomen non est nouum apud classicios scriptores, nam & Germaniam Ouidius ad Liuiam scribens, & Hegesippus Angliam, noui orbis nomine cohonestat. Pomponius Mela alibi alterius orbis, Lucanus ignoti orbis meminit lib. 5. loquens de Arabibus in auxilium Pompei properantibus. Et Iureconsultus Vlpia. in leg. xvii. Digest. de statu hominum, orbis Romani meminit. Huius quidem cogniti orbis vulgatum schema apposui, quod monere visum est; in reliquis, nouissimis nauigantium membranis atque relationibus fere adhæsimus.

CON-



CONTINENS TERRA AVSTRALIS ET CHICA.

FX ultimo Oriente per meridiem pro-
 gredientibus Australis terra occurrit. In-
 de noui orbis partiūque eius descrip-
 tionē ordiri visum est, de in sensim æqua-
 tori, mox septentrioni succedendo, beneuolum lecto-
 rem, antiquorum Geographorum descriptionibus
 abductum, ad proprios auitosque lares domum de-
 ducere. Australis igitur terra omnium aliarum terra-
 rum australissima, directè subiecta antarctico circu-
 lo, Tropicum Capricorni ultra ad Occidentem ex-
 currens, in ipso penè æquatore finitur, tenuique dis-
 creta freto Nouam Guineam Orienti objicit, paucis
 tantum hactenus littoribus cognitam, quòd post vnam
 atque alteram nauigationem, cursus ille internissus
 sit, & nisi coactis impulsisque nautis ventorum turbi-
 ne, rarius eò adnauigetur. Australis terra initium
 sumit duobus aut tribus gradibus sub æquatore, tan-
 tæque à quibusdam magnitudinis esse perhibetur, vt
 si quando integrè detecta erit, quintam illam mundi
 partem fore arbitrentur. Guineæ à dextris adhærent
 Salomonix insulæ multæ & vastæ, quæ nauigatione
 Aluari Mendanij nuper inclaruere. Médanius nam-
 que studio inquirendi noui & incogniti coeli regiones,
 cum ex Limano Peruuienti portu soluisset, perpetuis
 prouectus Euris, post trium mensium nauigationem

*Australis terra**Noua Guinea**Salomonis in-
sula.*

*Salomonias clas-
sis in orientem
navigavit.*

ad insulas hæc delatus, Salomonias ex libito potius quam certâ aliquâ de causâ nominavit. Nam Salomoniam classem quam sacrorum librorum annales Reg. 3. c. 9. & 10. in Ophir & Tarsis missam aurum & argentum cum lignis Thyinis, ebore, simijs & pavis attulisse referunt, in orientem vela intendisse, ut existimemus multis magnisque argumentis ducimur: nam præterquam quod neque ligna Thyina neque ebur ex Americâ hactenus allata memorentur, terra Ophir sic dicta perhibetur ab Ophir filio Iectan qui ut Ioseph lib. 1. cap. 14. antiquit. Iudaic. testatur, sedem in Oriente constituit, quam regionem à Syriæ finibus usque ad Cosmum Indiæ fluvium longe latèque extendi, & auri ditissimam fuisse perhibet. Vnde aurum Ophir siue Ophirizum quasi dicas obrisum celebratur quod ad alterius regionis aurum collatum, puritate vincat & principem locum teneat. Inde Hebræis Ophir per translationem quamcunque auriferam regionem designare coepit, ad similitudinem Iectanæ regionis quæ puri obrisique auri fertilissima fuisse traditur. Quapropter vero similis est Salomoniam classem, ad terram Ophir dimissam, non ad Iectanam hæc mediterraneam regionem, sed ad Traprobanam, Malacham, Auream Chersonesum aliasque orientis auriferas terras navigasse. In orientem quoque destinatas fuisse Salomonias naues ex præallegatorum biblicorum annaliû libro 3. cap. 9. aperte cõvincitur, quâdo Idumæo in littore, siue Afiongabar maris

*Ophir signifi-
catur.*

*Salomonias in
libro*

maris rubri maritimâ ciuitate classem hanc adorna-
 tam, & stationē habuisse, in eamque Tyrios Sydo-
 niōsque nautas, syderū obseruatione, gnaros maris à
 rege Hyram cooptatos & Salomoni trāsmissoos fuisse
 5 aperte illic referatur. Quod si in occidentem nauigatio
 parabatur nihil opus erat Tyrios Sydoniōsque nau-
 cleros per immensa terrarum spatia requirere, sed in
 Tyrio aut Sydonio littore deduci instruique poterat
 classis, & rectâ per fretum Herculeum, flexisque de-
 10 hinc modicè ad sinistram velis, continuis orientis fla-
 tibus in Hispaniolam aliâsque circumiacentes aurarias
 auriferâsque terras dirigi. Neque mouere quem debet
 quod Iosephus in littore Tharsico Israeliticam hanc
 classem adornatam fuisse referens, videatur indicare
 15 in occidentem nauigationem factam esse, quia mare
 Tharsis ad Iudææ occiduam latus & mediterraneum
 mare vergat, vti clare demonstratur, ex fugâ Ionæ
 prophetæ, qui anchoram ex portu Ioppensi in occi-
 dentem prono soluēs, fugit à facie domini in Tharsis:
 20 Inde enim non efficitur occiduam illam mare tenuisse
 aut sulcasse, nam Tharsis hic neque ad Ciliciæ mari-
 timam ciuitatem refertur (quæ Tarsus alioqui pro-
 prie dicitur & sine aspiratione scribitur & profertur)
 aut alterius cuiusuis regionis terrarum partem deno-
 25 tat, sed Hebræorum effuso & indefinito loquendi
 more, pro ratione subiecti aut, mare immensum,
 aut procul à nostro orbe remotas dissitâsque regio-
 nes significat, nulla factâ distinctione ad ortum an ad
 occasum,

*Tharsis signifi-
 ficatio.*

occasum, à Septentrione ad Austrum aut ab Austro
 in Septentrionem vergant, haud aliter atque nostris
 hisce temporibus disiectas longe à nostro climate re-
 giones, Indiarum nomine designamus, quo sensu ve-
 rum est, Salomoniam classem in littore Tharsico
 constituisse, & in Tharsis & terram Ophir orientem
 versùs nauigasse: verum quoque est Ionam occiden-
 tem versùs ex Ioppe in Tharsis profugisse, nam vtro-
 que loco generico nomine immensa maria, & regio-
 nes remotæ significantur. Cæterum Australis terra
 sub ipso Occidente vtramque Iauam, Sumatram &
 Moluccas respicit, ex Oriente Africam habet &
 Aethiopicum Oceanum, Septentrio angustijs Ma-
 gellanici freti obijcitur & Patagonum terris. Chica
 vicissim eodem freto ab Australi continente dirimi-
 tur, ac eoi occiduique æquoris pulsata fluctibus, à Sep-
 tentrione montibus Chilianis & Platâ finitur, sic vt
 triangularem Patagonum terræ referant formam,
 cuius angulus incipit in ipso Australis æquoris limite,
 & æquinoctialem versùs paulatim sursum ascenden-
 do, latitudine penè vtrinque æquali extenditur. Au-
 stralis terra laciniatis vndique littoribus, erumpenti-
 búsque fluminibus portuosa est, eoque nomine nautis
 primum ex Orientali India commeantibus, cognita:
 & quâ Patagonum terris propior est, à Ferdinando
 Magellano primum lustrata & detecta est, cum fœ-
 lici ausu maris Australis angustias ingressus, morta-
 lium primus nouam ad Moluccas viam monstrauit.
 Is siquidem

*Termini Au-
stralis terra.*

Chica.

*Australis terra
detectio.*

*Magellano
detectio.*

occidui

Is siquidem post præfecturam regiæ classis in Africâ
 & Oriente, indignatus, pro bene nauatâ operâ, sibi
 denegari exiguum duplicati stipendij augmentum,
 relictâ regis Emanuelis aulâ, in Hispaniam sese con-
 5 tulit, & Moluccas, intra limites Castellanorum sitas
 esse, aliâque per Occidêtem viam ad Orientis reg-
 na penetrantem sese commonstraturum edocuit, quâ
 compendio, minoribus sumptibus, temporisque ia-
 cturâ, quàm Lusitani hactenus nauigassent, Orientis
 10 merces inuehi possint. Tenuerat antea aliquoties His-
 panos de Moluccis controuersia, & à Columbi tem-
 poribus per intercurfantis freti angustias ad Oriêtem
 indefesso studio viam quærere instituerat, sed cum op-
 tatis fortuna nusquam responderet, agitatum aliquâ-
 15 do fuisse memoriæ proditum est de Isthmo Darienis
 perfodiendo, vt Austro mixtus Septentrio, expeditâ
 vtrinque nauigatione, merces transueheret & com-
 mutaret suas: quâ in re cum sententijs variatum esset,
 negantibus plerisque committendum esse, vt refractis
 20 naturæ claustris, maria inter sese committerentur; quia
 ingruentibus Septentrionalibus vndis metuendum
 esset, ne in adiacentia erumpens mare, totam regio-
 nem inundaret. Haud absimili olim metu Sestostra-
 tem Aegypti Regem, & nuper patrum memoriâ
 25 Solymannum à cogitatione perfodiendi Cathabat-
 micum Isthmum abstuisse: alijs verius videbatur cau-
 tes durissimi maximique montis quem natura vtri-
 que mari obiecerit nullo ferro penetrabiles, neque vllis
 O humanis

*Ferdinandi
Magellani ex-
peditio.*

*Occasio expedi-
tionis Magel-
lanica.*

*Isthmus Darie-
nis.*

*Ferdinandi
Magellani ex-
peditio.*

humanis viribus domari aut complanari posse, optime naturam rebus mortalium consuluisse, quæ suos cursus fluminibus, atque originem & fines mari dederit, debitisque omnia terminis concluderit, quos transcendere velle curiositatis immensæ, & nullius consilij esse. Quinimo metuendum esse dictitabant ne ipsum cæleste numen, cuius imperuestigabili consilio, in ipsâ mundi cõstitutione, omnia bene ordinata sunt, molésque & montes insuper altos hisce angustijs imposuit, temerarios hosce conatus auerfetur, naturæque temeratores dignis supplicijs persequatur. Siue ratio hæc valuit, siue difficultas operis, in eorum sententiam itum est, qui nihil mutandũ censuerunt: Rebus igitur huiusmodi concertatione suspensis, oportune superuenit Ferdinandus Magellanus tentaturus nũm duo hæc maria, in peruiã vsquam aliquã mundi parte coniungerentur. Magellano itaque comiter habito & promissis onerato, quinque naues attributæ sunt, addito mādato vt cõtinuatã nauigatione Americæ Australia littora prosequeretur, donec illius regionis terminos aut peruij alicuius freti angustiasprehenderet. Magellanus anno à nato Christo M. D. XIX. ex Hispalensi portu in altum soluens, præteruectus Canarias maritimásque Brasiliæ oras, ad Sanctæ Mariæ promontorium delatus est, quod fauces Platanae prouinciæ, & fluuij tuetur: inde Sancti Iuliani portum tenuit, vbi sinus vastus, vertentis freti speciem edebat. Hic Magellanus iactis anchoris situm

*Ferdinandi
Magellani ex-
peditio.*

fitum regionis explorare constituit, milites mediter-
 ranea peruagati Gigantum ad terras sese delatos cog- *Gigantum re-*
 nouerunt: viri erant proceri decem pedum altitudine, *gio.*
 ferinis pellibus contecti, vtque Hispanis sui admiratio-
 nem facerent, in signū auitæ veræque fortitudinis, ses-
 5 quipedales sagittas absque nausæâ per guttur ad imum
 vsque stomachi demisere. Hispani casam duabus mā-
 sionibus discretam inuenere, quarum vna trium gi-
 gantum, altera mulierum puerorumque statio erat.
 10 Nocte hinc inde mutuo metu transactâ, Hispani cum
 primū illuxisset, signis nutibusque gigantes ad na-
 ues secum pertrahere nitebantur, constanter recusantibus,
 vim quoque Hispani cum adhibitori videren-
 tur, gigantes vxorum stationem subiēre: vnde mox
 15 prodeuntes, picti deformatique coloribus, alijsque
 pellibus vsque ad genua prominentibus horridi, fero-
 citer arma vibrabant, Hispanosque nouo hoc specta-
 culo attonitos, tugurijs suis expellere parabant, sed
 disploso Hispanico sclopo, ingens gigantes timor in
 20 celsit. Petitâ itaque datâque pace, simul ad naues per-
 gebant: sed cum immanibus passibus Hispanos ante-
 uerterent, duo gigantes quasi feram (quam in viâ
 conspexerāt) consectarentur, dilapsi effugere, tertius
 ad Magellanum deductus, humaniter exceptus est.
 25 panis biscocti corbem vnico pastu, & vini situlam fa-
 cili haustu deglutijse fertur. Horrebat sui ipsius for-
 mam cum se in speculo contemplaretur: tantæ por-
 rō fortitudinis erat, vt octo hominum labore vixdum

vinciri potuerit cum vincitum sese vidit, mærore contabuit. Magellanus soluens ex portu Sancti Iuliani, ad Sanctæ Crucis portum deuēnit, indè portum tenuit, quem vndecim mille virginū nominauit, quòd die diuæ Vrsulæ dicato hic anchoram iecisset. Regione ad Austrum inclinante, continuatâ nauigatione sensim inde enauigans, tandem freti illius angustias superauit, & vtrumque promontorium, desideratum nominauit. Fretum hoc altissimis vndique rupibus cinctum, CXX. passuum millia in longitudine occupat: latitudo non respondet, neque vsquam sui similis est, aliquando duo aut tria, nonnunquam decem aut quinque miliaria patet, quâque angustissimum est, vnius miliaris spatium concluditur. Ipse Septentrio ex orientis latere inter vtriusque terræ angustias per septuaginta & amplius passuum millia inuectus, australibus vndis miscetur, quæ ab occidente promontorijs illis dessecadis siue desyderatis insinuatæ, Septentrionalibus aquis occurrunt, magnòque inter se molimine concurrentibus vndis, horrendo fragore totum in spumas vertitur mare. Placidius Auster fluit refluítque, nam occidentis hæc pars cum incredibilis sit profunditatis, extenuatissimisque passim littoribus maiorem in modum terra sese aperiat, quietum fluitanti mari accessum præbet. Sed Orientale huius freti littus, vadis breuibúsque infestum, interiacentibus pluribus insulis, frequentibus æstibus agitatur & ingentes aquarū motus ciet: littora altissimis ingētibusque vndique arboribus

*Magellanicum
freti descriptio*

arboribus confita, viridantibus pratis gratum pecori pabulum prebent. Formidatum hoc nautis littus hyberno coelo innauigabile esse perhibent, propter ventorum inter pendentes rupes inclusos vortices; statis
 5 alioqui temporibus maris accessum & recessum patitur. Huius freti inuentio Magellano debetur, nam reliqui nauium præfecti constanter fretum esse negabant, & quidam desperatione viæ Hispanias repetuerant. Præterea in tabula hydrographica Martini
 10 Bohemi, quam Emanuel Lusitaniæ Rex in suo museo asseruasse dicitur, compertum est, nullum fretum adscriptum, sed locum tantum Moluccarum designatum fuisse. Merito igitur Magellanicum à Magellano inuentore nomen obtinuit, quando ipse Magel-
 15 lanus anno salutis M. CCCC. XXII. primus mortaliū foelici ausu, Australis huius maris angustias superauit, nouam & compendiarium viam ad Moluccas cōmonstrans. Stabit igitur durabitque huius viri memoria dum pater Oceanus Borealibus inuectus vn-
 20 dis, Meridionales inuiset nymphas. Trimestri deinceps spatio Magellanus enauigato hoc Archipelago Pacifici illud nomine insigniuit: siue quia vento plerumque secundo, minusque tempestuoso vsus fuerat, siue quia propter ingentem vasti æquoris amplitudi-
 25 nem nullos ibi ventorum gyros vorticésque expertus erat. Sed Magellanum in medio cursu gloriæ, acerba mors sustulit, nam ad Moluccas prouectus, à Matanensibus in insidias præcipitatus, fortiter pugnans

*Magellanicum
fretum à Ma-
gellano inuen-
tore nomen ha-
bet.*

*Pacificum mo-
re.*

*Magellani
Mors.*

*Navis Victo-
ria.*

occubuit. Navis cui bono omine, nomen Victoria
erat, meliori successu læta, per ipsum orientem, su-
perato bonæ Spei promontorio in Hispaniam redijt.
prima omnium nauium sine controuersiâ, quæ cir-
cumnauigato vniuerso orbe, de ipso Oceano celebra- 5
rimum triumphum reportauit. Dum in Australibus
hisce partibus per semestre circiter spatiũ hæsit Ma-
gellanus, nihil fere præter littora detexit & perlustra-
uit, interiora tamen regionis penitus incognita man-
sere, quâ tamen antarctico circulo vicinior est, con- 10
stat magnâ ex parte montosam ac syluestrem esse re-
gionem, continuis niuib; rigentem; non defuere qui
cyanæi coloris niuem illic inueniri vellent, quod ego
in medio relinquam. Australem hanc terram Ma-
gellanus ab igne siue ignibus, *del fuoco* nominauit, prop- 15
terea quod dum hoc fretum lustrabat per nauigabat-
que, nullos vsquam mortales, sed frequentes longe-
que porrectos ignes in sinistro latere noctu sæpius con-
spexerit. Australes breuioris staturæ esse perhibentur,
Septentrionales Chicæ incolæ, vastâ ingentique cor- 20
poris mole, duodecim aut tredecim pedum passim
longitudinem æquant aut excedunt; colore ferè sunt
albo, perinde atque septentrionaliores nostri: voce
adeo sonorâ & horribili, vt bouis mugitum, aut ele-
phantorum barritum potiùs, quam hominis vocem 25
exprimere videantur. tantæ quoque sunt agilitatis, vt
pernici cursu ceruos anteuertant, ideoque difficulter
sclopis vulnerantur, nisi cateruatim simul incumbant,
aut ex

*Australis terra
descriptio.*

*Terra del fue-
go.*

*Magellanus
descriptio.*

aut ex improviso occurrant. Ingentis fortitudinis ro-
 borisque argumentum est, quod vini dolium subla-
 tum, singuli nauibus inferant, & tres aut quatuor, na-
 uem in profundum detrudant quam vix triginta no-
 5 stratum à terrâ molirentur. magnitudinis & albedi-
 nis causa, regionis frigiditati & humiditati adscribi-
 tur, quâdo terra perpetuis horridisque obsita niuibus,
 præduras & penè perpetuas efficit hyemes. Vtrius-
 que ripæ regio sterilis est nullo frugum beneficio re-
 10 creata, satis tamen pascua proceris ignotisque arbo-
 ribus confita esse perhibetur. Vestitum incolis præ-
 bent ferarum & marinorum ingentia luporum tergo-
 ra, quorum apud ipsos venatio assidua. sunt & stru-
 thiones, quorum sese plumis exornant, faciémque
 15 pluribus foraminibus, ornatus causâ excauant, quibus
 viridis quoddâ marmoris genus inserunt: venatione
 victum & vestitum parât. Sed luporum marinorum
 non tam carnes, quam pelles amictus causâ appetunt,
 quod duras illas & insuaues esse quotidiano vsu didi-
 20 cerint. Visuntur illic etiam balenarum agmina, qua-
 rum ossibus mapalia sua construunt. Gens barbara
 & supra modum crudelis, nullo humanitatis iure,
 rerumque cognitione ducitur, naturæ tantum instinctu
 ad id quod instat & præsens est pecudum more agitur,
 25 & quia à nemine vnquam subiugata fuit, nulla apud
 illos Antistitij quo alter alteri præmineret, præroga-
 tiua. Inhumaniores tamen reputântur Australes popu-
 li, qui sub ipso Antartico circulo collocati, longissimè
 ab omni

*Australes bra-
siles.*

ab omni humanitate recedunt: si quando peregrinis
amicitiæ aut beneuolentiæ symbolum exhibere cupiunt
(quantumuis id perquam rarò eueniat) inter tripu-
dia & patrios cantus, puluerem capiti inspargunt, aut
si alios id facere videant, pro rato amicitiae signo acci- 5
piunt. Ad bellum profecturi, Ducem eligunt cui om-
nes obediant, plurimum arcu valent, quo ita scitè &
gnauiter vtuntur, vt quidquid oculis assequantur, ia-
culis feriant, & si quando sagitta aliquo nauis tabula-
to hæserit, vix multorum operâ reuelli possit: arcus 10
habent prægrandes, quorum nerui è ferinis intestinis,
pollicis crassitudine conficiuntur: ingentibus quoque
lignis gladijs armantur, vtuntur & fundâ, quâ scitè
iaciunt & quò destinarunt, modo iactus metâ conclu-
datur contingunt & disijciunt. Hoc modo libertatem 15
suam tuentur, credo propter exiguam vtilitatē, quan-
do nullum operæ pretium sit, terras illas perpetuo
frigore rigentes adire, & cum sanguinariis illis gigan-
tibus manus conferere, aut confluere, nullum satis
dignum ob præmium. In ipsis Magellanici æquoris 20
faucibus, visitur noua arx, quæ prudentiâ inuictissi-
mi Philippi Catholici regis magnis sumptibus ad tuen-
das huius freti angustias exstructa est, anno à natiui-
tate Domini, M. CCCC. LXXXII. postquam Frânciscus
Dracus, orbis Archipirata, superatis freti illius an- 25
gustijs, inuectus pacificum mare, Quiuiram vsque
nauigauit, exploraturus an vllus per arcticas angu-
stias in Angliam patêret reditus, sed intolerabilibus
introde penè

*Arx noua in
faucibus Ma-
gellanici æquo-
ris.*

penè subactus frigoribus, quum altitudinis quadrage-
 simum secundum gradum attigisset, anno M. CCCC.
 LXXXI. Nonis Iunij conuerso ad æquinoctialem cursu,
 spoliatâque Iauâ, æmulus decoris Victoriæ nauis, præ-
 5 teruectus Asiam & totius Africæ maritimam oram,
 in Angliam reuersus est; narrationes tamen illius plu-
 rimum incertitudinis habent, illique ab Hispanis Lu-
 sitanisque naucleris in multis contradicuntur; nam &
 Magellanicum fretum, quod omnes, quinque aut ad
 19 summum decem millium passuum latitudine defini-
 unt, CCXXV. miliarium latitudine descripsit, in quo
 etiam contrarium habet Thomam Caundiseh An-
 glum, qui postea similem tenens cursum, totum ter-
 rarum orbem incredibili celeritate circumnauigauit.

Chili a frige
 re nona est
 etc.

P CHILI



CHILI.



CHILI Peruanarum prouinciarū remo-
 tissima, in Austrum excurrrens Chicâ &
 Patagonum terris clauditur: à Septētrio- 5
 ne Charchantes & Collaones habitant,
 ab oriente Platam respicit, reliquum Oceano & pa-
 cifici maris vndis pulsatur aut abluitur. Propter inten-
 sum illis in partibus frigus, à frigore nomen habet: nā
 Chili barbarorum linguâ, frigus significat. Regio 10
 ventosa est montibûsque asperrimis clauditur, in val-
 libus locisque maritimis propter diurnam coeli tem-
 periem, cominodè magnâque frequentîâ habitatur.
 Maritima multis fluminibus irrigâtur, quæ collique-
 factis diurno calore niuibus delapsa summis montium 15
 iugis, in pacificum aut Magellanicum æquor ferun-
 tur, sed nocturnis constrieta frigoribus, deficiente fo-
 mento vix aquam trahunt. Incolæ vasta corporis mo-
 le Patagonum magnitudinem æquant, vndecim aut
 duodecim spithamas alti: ferarum & hypotamorum 20
 pellibus conteguntur. Fœminæ gossypio velantur aut
 lanâ versicolore, quam scitè aptare norunt, Gens fe-
 ra & crudelis, veterem ob inimicitiam aut libertatis
 tuendæ causâ in perpetuo motu est. Arma sunt arcus
 & sagittæ, quibus promiscuè hostes arcent, aut feras 25
 consectantur. Huius regionis temperies sana est inter
 frigidam & calidam, cûmque vltra tropicos pro-
 currat, cum Hispaniæ & Europæis regnis summam

conue-

*Chili à frigo-
 re nomen reti-
 net.*

conuenientiam habet , nam & dierum & noctium
 æstatis & hyemis maiora hic penè discrimina sentiun-
 tur , quàm in vllâ aliâ occidentalium regnorum pro-
 uinciâ: terra naturâ suâ fertilis omniumque ad vitam
 5 necessariorum abundantissima, melle, pecore, verzi-
 nõque siue tinctorio ligno abundat. Ingens hic quo-
 que Struthionum copia, quorum plumis sese Chiliẽ-
 ses exornant: horum venationem assiduam Hispani
 exercēt citis equis & per valles subsilientes longâ con-
 10 sectatione conficiunt. Cignit cum primis piper lon-
 gum, profert & laudatissimum vinum comportatis
 eò ex Hispaniâ palmitibus, auri obrisij hic quoque in-
 gens prouentus. Sed continuis bellis exhausta rarius
 habitatur, Ingentibus quoque sæpenumero terræ mo-
 15 tibus infestatur, quibus regionis status miseris sæpe
 modis perturbatur, nam præter hominum iumento-
 rumque miserandam stragem, integros quoque mō-
 tes solo æquat aut subuertit, fluuiorum naturales al-
 ueos transfert, aut in lacus stagnantes commutat, &
 20 maris æstum per aliquot passuum millia diuertit, na-
 uesque in sicco procul à statione relinquit. Hoc pacto
 Arequipa nuper anno dominicæ Incarnationis M. D.
 LXXXII. ab ipsis penè fundamentis corruit. De origine
 gentis multa fabulosa narrantur, dum sese primos
 25 mortalium maiorésque suos è lacu emerfisse, aut ex
 Andium cacumine processisse volūt, sed ea vti vana,
 hic nihil referre aut refutare attinet. Prima aduersus
 Chilienses, tum famâ tantum cognitos, expeditio fuit

Didacus Almagrus Chiliensis terras detexit.

Didaci Almagri, cui cum ex renouati fœderis conditionibus cum Francisco Pizarro initi, ea prouincia obuenisset magnis itinerum difficultatibus superatis ad Chilienses penetrauit, confectus penè intolerãdis inedia, frigoris, ac niuium ærumnis: multos militũ equitũque rigentibus cõstrictisq̃ue præcordijs, prægelida hyems absumpsit. Sed Almagrus cũ præter viros proceris corporibus metuendos, hispidisq̃ue marinorũ luporum pellibus terribiles, sagittis à tergo lateribusq̃ue incurfantes, suosq̃ue assidue laceffentes, nullum adhuc vsquam auri indicium inuenisset, dimissã infructuosã Chiliensiu oppugnatione retro conuersus Cusconem repetijt, totiusq̃ue rei & nauatæ operæ laudem Petro Baldiuo reliquit. Qui post Cusconium præliũ capto Almagro, ad Chilienses proprætor missus, gentem diuturno bello domuit, occupatisq̃ue maritimis locis opportunam illis in partibus coloniam deduxit, quæ sequentibus temporibus mirum in modum coaruit, & nunc gentis metropolis est, sita percommodo loco, ad importandum omne genus commeatus, & quoduis genus mercimonij exercendum. In prouincia huius montanis peculiaris ventus dominatur, non aliquã vehementiã sed nimiã suã subtilitate noxius. Olim terrestri itinere superatis altissimorum montiu iugis ad has terras primi detectores penetrarunt sed propter teterrimam metuendãque huius ventuli siue auræ vim maritimo nunc itinere, aut secundum maris littus per planas regiones Chilienses adeuntur.

Petrus Baldiuus Chilienses domat.

Noxia Chiliensium montium aura.

Auræ

Auræ huius Chiliensis vis adeo noxia est, vt oppresso inter viscera vitali calore, viatorem extemplò interimat, mortuorum tamen corpora non infestat, sed à corruptione & putrefactione præseruat. Fama est Almagrum post quintum mensem eadem itineris spatia remetientem, multos suorum cum equis frigore examinatos recentes adhuc integròsque inuenisse, manibus frena retinentes, equisque in suo gressu stantibus tali habitu, sicuti viui obriguerant. Quæ res contemplantibus admiratione digna merito videtur, sed ratio in eo est, quod Chiliensis hæc aura cum sit subtilissima, non suras, non pedes aut manus pertentat, sed ad intima præcordia penetrat, vitalémque calorem suffocat & restinguit: & cum in vltimo siccitatis gradu siccissima sit, corruptionem neque putrefactionem inducit aut admittit, sed mortuorum corpora præseruat, nam corruptio putrefactioque à qualitate calidâ & humidâ procedit.

P 3

PLATA.



PLATA.



QUEM non oblectet amœnissimus huius
 prouinciæ aspectus; quando (haud aliter
 atque irriguus hortus muro clauditur) 5
 ingentibus excelsisque vndique rupibus
 septa, innumeris irroratur fluuijs. A Meridie Chicâ
 terminatur, Chilienses occiduum latus tenent, Sep-
 tentrionem Brasilia & Charchantes claudunt, Oriēs
 Oceano finitur. Ipse Platanus fluuius in Charchanti- 10
 bus ortus magnis mæandris effectis, prope Ninga-
 tam in Parana sese exonerat. Cæterum Parana eius-
 que perpetuus comes Lepetius fluuius, in Brasilianis
 montibus orti, ad Austrum vergentes, multis aquis
 aucti, ingentes trahunt vndas, sensimque ad solem 15
 orientem inflexo cursu, ingenti sinu in Eoum siue
 Aethiopicum Oceanum euoluuntur. Sinus iste quâ
 latissimus est, ad triginta milliaria æquinoctialia pa-
 tet, eoque nomine ab incolis Paranaguazu, quasi di-
 cas mare magnum, vocatur. Ad confluentem Para- 20
 næ & Lepetij septem gemmarum insulæ conspiciun-
 tur. Americus Vespuccius, à quo huic continenti no-
 men inditum, post Capralis nauigationem, anno à
 partu Virginis M. D. I. missus Regis Lusitanæ no-
 mine, ad explorandum Brasiliæ situm, quærendum- 25
 que alicuius noui freti compendio, viam ad Moluc-
 cas, post multorum dierum nauigationem, primus
 mortalium ad huius Argyrei, siue Platae fluminis
 portum

*Platana pro-
uincia fines.*

*Septem gēma-
rum insula.*

*Americus Vef-
puccius hinc
prouinciam
detexit.*

portum delatus est, conspectoque ingentis fluminis ostio, ratus sese optatum ad Moluccas transitum inuenisse, nihil moratus, vt erat multorum dierum nauigatione fatigatus, lætus domum redijt. Postmodum anno nimirum M. D. XII. Iohannes Solis Lebriffensis architalassus Regis Catholici, ad ingentē hunc Paranaguazu, hoc est fluuium tanquā mare, peruenit, eique Platae, siue cum Appollonio mauis, Argyrei nomen imposuit, propter nitidissimas argenti glareas, quas limpidissimis huius fluij vndis trahi deprehenderat, auri quoque signa nonnulla notauit, prouinciāque à suo nomine Solis vocauit: repetitā deinde in Hispaniam nauigatione huius prouinciæ procuracionem obtinuit. Quarto post primam suam nauigationem anno, instructis, deductisque tribus nauibus, cum ad Sanctæ Mariæ Caput appulisset, cum quinquaginta militibus ex insidijs ab Indis interceptus & discerptus est, inspectantibus reliquis militibus naualibusque socijs, qui metu amentes, ne tentatā quidem vindictā, desertores sociorum, in Hispaniā velis contenderunt. Sebastianus Gabotus eiusdem fluminis ostium postmodum anno M. D. XXV. ingressus est, sed sine fructu in Hispaniam redijt, sui infortunij nuncius aut testis. Cæterum quantumuis Iohannes Solis Lebriffensis, à suo nomine, vt dixi, prouinciā denominarit, illo è viuis sublato, Platae nomē prouinciæ manet, manebitque à flumine Platā, siue ab vrbe eiusdem nominis in Charchantibus, vbi oritur fluuius haud procul

Iohannes Solis.

Sebastiani Gaboti nauigatio.

Prouincia Platae nomē manet.

procul à fodinis Potossiacis. Fama est non aliter ac Nilus Aegypti regionem inundat, hunc quoque fluvium Platae arua fecundâ inundatione irrigare. Incolæ vastâ corporis mole ad Gigantum staturam proximè accedunt: sed Tibiguri, & Vasis fluvij accolæ, non nihil de hac magnitudine remittunt, & quò propius æquatorem venias, ad nostratum magis staturam accedunt. Corpora incolarum, ut vasta, ita & salubria, in duâsque nostrorum ætates excedere aut superare feruntur. Tantâ pedum velocitate pollent, ut admissi equi, aut flegacium ceruorum cursum superent abtæquent. Linguâ vtuntur Cichensium, siue Patagonicâ, quibus finitimi sunt, Gens in yniuersum bellicosa, multâ feritate crudelis, sagittis fundâque in bello valent plurimum, perinde atque Australes, & Cichæ inhabitatores, quorum in bello quoque fortitudinem æquant, plurimumque negotij detestoribus præbuerunt. Domitâ subactâque provinciâ, Hispani ad famam Potossensem fodinarum aduerso flumine Charentes & Collaones, mox Peruuinos terrestri

Plata fluius regionem inundatione fecundat.

Provincia Platae

invenire adliere, totiusque huius Regionis situm dete-

xere, sic auctori VXX. d. M. omnis tuborum multo

BRASILIA



...Ceterum quatuordecim Johannes Solis I...
...provinciae in...
...ab vrbis eundem
...fluvij hanc
...lucum

BRASILIA.

BRASILIAM à Verzino, siue coccinei
 ligni illic enascentis copiâ vocari, testatur
 Castaldus. Ab ortu solis, & septentrionis
 latere pulsatur oceani fluctibus, à Meri-
 die Platae obijcitur, ab occasu Peruiam, Collaones &
 Charchantes habet, à quibus mōtibus aut Maragno-
 no seu Orellano, ingentibus fluuijs separatur, qui in
 Charanguis aut Cusconicis montibus orti, ad Picoræ
 confluentem coeunt, magno aquarum molimine,
 in Boreale æquor deferuntur. Petrus Aluares Capra-
 lis, anno à nato Christo millesimo quingētesimo, iussu
 Emanuēlis Portugaliæ Regis, Calecutum petens,
 hanc regionem detexit: nam coortâ tempestate cum
 ad vitandam Guineæ malaciam, & bonæ spei pro-
 montorium superandum, longiore facto circuitu, ex-
 pansis velis, in altum prouectus esset, diu multūmque
 cum ventis luctatus, post vnus penè mensis nauiga-
 tionem terram hanc in conspectu habuit, continuatâ-
 que secundūm littus multorum dierum nauigatione,
 cum continentem esse deprehendisset, primus mor-
 talium ad hanc terram delatus, portum cui ab egre-
 gio situ, tutâque statione Securo nomen impositum,
 erectoque gloriosæ Crucis signo, regionem
 Sanctæ Crucis nomine insigniuit; quod nomē aliquā-
 diu retinuit, donec prophanū vulgus à ligno tinctorio,
 superindidit Brasiliæ nomē. Sed Capralis, Gasparum

*Brasilia termi-
ni.**Brasilia inuen-
tio.**Sanctæ Crucis
Regio.*

Q

Leuium

Americus Ves-
puccius.

Leuium in Lusitaniam ablegauit, vt regem noui cli-
 matis inuenti, certiozem faceret; ipse nihil intermisso
 cursu Calecutū contendit. Emanuel Lusitaniæ Rex,
 Americo Vespuccio Florentino negotium dedit, vt
 accuratius explorato huius terræ situ, fretum aliquod
 peruium quæreret, quod compendio ad Moluccas
 duceret. Americus itaque nauigatione ad occidentem
 institutâ, post sexaginta septem dierum iactationem,
 anno à partu virginis millesimo, quingentesimo pri-
 mo, Sancti Augustini promontorium tenuit, in se-
 quēdoque cursum institutū, ad Platæ vsque fluminis
 ostium delatus, totum huius regionis orientalem tra-
 ctum detexit, retinuitque vniuersa regio Americæ
 nomen, sed huic terræ vsu vulgi sequentibus tempori-
 bus à ligno tinctorio, vt dixi, Brasiliæ nomen super-
 inditum. Regio (vt ipse Americus in suis relationi-
 bus testatur) imprimis amœna est, perpetuâ coeli cle-
 mentiâ, lenium marinorum ventorum flatibus, ne-
 bulas, nocturnosque vapores, tempestiuè deficienti-
 bus: quæ salubri coeli temperies incolarum corpora
 sana, robusta, & vegeta efficit, & ad vltimam vsque
 senectutem prouehit. Terra ipsa secundum littus ma-
 ris quàm longissimè extenditur, interiùs in colles as-
 surgens, foelix præpinguibus glebis, & irriguo solo,
 erumpentibus ex circumiectis vndique collibus, nu-
 merosâ fluuiorum fontiumque multitudine. Saccari
 cum primis ferax, varia insuper aliorum fructuum
 genera profert; vino tamen & frumento carent, satiuâ
 radice

Brasilia de-
scriptio.

Brasilia de-
scriptio.

radice victitates, vini penuriam artificiali liquore faciunt, quem tepidum hauriunt, præcipuümque mulierum officium, quo maritorum amorem demerentur, in tepidatione huius potus consistit. Animalium peregrinorum hîc quoque ingens copia, canes tamen, aut equos, ante Christianorum aduentum neque viderant, neque nouerant: memoriæque proditum est, Gallum equo, quem secundâ suâ nauigatione aduexerat, infidentem, à Toupinambaultijs Gallorum foederatis, procul conspectum, antequam internosci posset, sagittis confixum, quod exoticarum rerum ignari, existimabant nouam belluam, aut dirum maris monstrum, recenter sese terris intulisse: nunc tamen comportatis eò segete atque palmitibus, vino ac frumento abundant, inuectâque pecorum equorumque armenta, admirabili prouentu foetificant. Incolæ subfufci, siue ænei coloris, nudi omnes incedunt, faciem fissuris deturpant, quibus viridis marmoris genus inferunt, totum corpus expilant, relicto in vertice tantum capillitio. Sed mulieres comas pectunt, & passis circumuolitantibusque capillis gaudent, neque fissuris faciem foedant. Gregatim viuunt, Nomadum in morem. Domos oblongas, horreorum, aut inuersarum catinarum instar habent, multarum familiarum capaces. Lectis pensilibus vtuntur, sicuti passim per totam Americam aliæ quoque gentes, testaturque Vespuccius suauissimè in bombycinis istis retinaculis aliquoties dormiuisse. In auroræ diluculo

Brasilianorum potus.

Brasilianorum potus.

Domus Brasilianorum.

Q 2

& in

& in ipsâ aurorâ surgunt, cibumque expediunt, vnico
 interdiu conuiuio contenti, tempus deinde piscatione,
 venatione, tripudijs, cantionibusque, aut iteratis com-
 potationibus extrahunt: potum ex radice quadam
 confectum, tepidum (contrario atque apud Euro- 5
 pæos modo) genialiter hauriunt. Incolæ Canibales
 sunt, varijs regionibus dispersi, nominibusque distin-
 cti. Nullâ deorum cognitione ducuntur, orientem ta-
 men solem venerantur, & animarum immortalita-
 tem credunt. Manè cum surgunt ex xylinis illis suis 10
 retinaculis, antequam cibum capiant, vnus ex fami-
 liæ aut horrei illius senioribus, magnis passibus inam-
 bulans, sæpiusque idem (propter mapalium longitu-
 dinem) repetens, amorem tantum coniugum, & ad- 15
 uersus hostes, vindictæ cupidum, fortemque ac tenacem
 animum concionabundus inculcat. Coniugij amorẽ
 perpetuus compotationis ardor (cuius præcipua cura
 foeminis demandata est) hostium cædem innata ter-
 ris illis vindictæ cupiditas, fouet ac promouet: nam
 gens iræ vindictæque tenax, veterem ob inimicitiam 20
 in perpetuo motu est, vt parentum amicorumque,
 olim ab hostibus captorum, ac deuoratorum, mor-
 tem vlciscatur. Arma sunt claua lignea, arcusque,
 quibus plurimum valent, parmis exiguis ad excipien-
 das hostium sagittas potius, quam corporis tuendi 25
 causâ vtuntur. Procedentes ad bellum cornibus, fistu-
 lisque ex hostium deuoratorum ossibus confectis, præ-
 lia cient, ad primũ hostium conspectũ, feris vlulatibus,
 multisque

*Brasiliani Ca-
 nibales sunt.*

*Brasilianorum
 Arma.*

*Brasilianorum
ad pugna pro-
gressus.*

multisque hinc inde conuitijs res geritur, ingemina-
toque clamore cornibus perstrepunt, fistulisque sua
fortia facta canunt, vibrantes hostium deuoratorum
ossa, increpando comminandoque conclamant, nisi
5 inde ilico faceffant, sese ignauissimos terrarum macta-
tuos, aut captos genialibus conuiujs referuatuos.
Cum ad manus deuenitur cominus pugnando, cruen-
tam exercent victoriam. Inimicorum occisorum capita
horreorum siue mapalium postibus affigunt, & tanquam
10 auitae fortitudinis monumenta ostentant. Captos in
praelio hostes multorum dierum cura saginatos, ma-
ctant, dissectaque ac ligneis cratibus tosta viscera de-
uorant, non cibariorum penuriam, sed innatae vindictae
studio, quae ne in victis quidem deponitur: nec capti-
15 uus hoc mortis genus refugit, sed alacer, securusque
ad mortem pergit, sua fortia facta, numerumque
hostium a se occisorum aut deuoratorum enumerans;
In mortis articulo captiui contra percussores etiam fa-
cinoribus grassantur, lapidumque allatorum proie-
20 ctione, multos circumstantium laedunt: Sed praecipu-
um solatium, sperata parentum, cognatorumque
ultio, quos confidunt hostium in posterum capiendorum
caede, suam mortem expiaturus. In hanc spem
mulieres viduae liberos educant, persuasum haben-
25 tes, maritorum manes inquietis sedibus agitari, donec
filius paternae iniuriae haeres, inimicorum sanguine
patris manibus parentarit. Nam haecenus animarum
immortalitatem persuasam habent, existimantes,

*Captiuorum
alacritas & fi-
ducia.*

Q 3

bonos

Brasiliensium
ad pugnas pro
gressu

bonos fortésque, qui parentum manes vlti, plurimos
 occiderint aut deuorauerint, captique qui belli fortu-
 nam animosè tulerint, moriendóque hostibus insultarint, in Orientis partibus, in quibusdam voluptatis
 campis versari: contra ignauorum animas in occidē- 5
 te, infaustas sedes habituras. Haetenus belluis propio-
 res, gregatim vixére per tuguria dispersi, donec Euā-
 gelicæ lucis gratiâ illucescente, in pagos & oppida con-
 tributi, legibus regi coepére. Coloniae maritimis in lo- 10
 cis, diuersæ deductæ sunt, inter quas Tamaracá, Per-
 nambucum, Illeos, portus securus, Sancti Vincen-
 tij, Sancti Saluatoris, & aliæ multæ. Præcipuus in
 huius gentis conuersione, & cicuratione, Patrum So-
 cietatis labor enituit, qui perpetuo & nusquam inter-
 misso studio vagam & efferam gentem, ad meliorem 15
 vitæ rationem perduxére, antiquatisque feralibus pa-
 triæ consuetudinibus, foedisque epulis, veri Dei cult-
 tum, quàm latissimè propagauére.

Capitulum
vltimum
dicitur

PERVVIA



PERVVIA.

PERVVIAM nonnulli ab Isthmo Darienis,
 ad vsque Chilienses terras extendunt: sed
 hæc effusa, & nimium generalis designa-
 tio, à nostro instituto aliena est: non enim
 quicquid Ingarum superbo impotentique dominatui
 aliquando patuit, hac tabulâ comprehendere visum
 est, sed descriptionem nostram ab æquinoctij lineâ in-
 cipiendo, Austrum versus producemus. Prouincia à
 portu fluuijque eiusdem nominis, duobus gradibus
 ultra æquatorem, Peruvia nomen tulit. Septentrio-
 nale latus Popeanis terris, & continente Indicâ clau-
 ditur, sub ipso æquinoctij circulo, Austrum Chilienses
 determinant, in oriente Plata Brasiliâque prouinciæ
 amplissimæ, occidentis latus pacifici maris undis ab-
 luitur. Quâ in littus, ad meridiem atque Occidentem
 obuertitur, plana & æquior est regio, quum verò in
 interiora longius abscedit, in altos excrescit montes,
 qui latissimè expansis cornibus, perpetuis iugis, per
 Collaones, Charchantes, & Chilienses, in Magel-
 lanicum tandem æquor feruntur, extenuatisque pela-
 go littoribus extremum promotorium è regione Au-
 stralis terræ, rostri instar extrudunt. Terra, quæ su-
 blimibus imminentium montium verticibus subijci-
 tur, suffocantis sabuli oppressu, & horridâ frequen-
 tissimarum solitudinum vastitate informis & effœta,
 vix indigenis sustinendis par est, quum præter agrorum
 sterilita-

*Peruvia ter-
mini.*

sterilitatem, iusto fontium, lacuumque subsidio destituitur. Sed ad non mediocre leuamen humanæ necessitatis, lætiores in planis succedunt valles, limpidis fluijs frequentes, hi à præcelsis montium rupibus delapsi, tantâ vi feruntur, vt omnem virorum, equorum- 5 que transitum respuant: ijdem brumalibus ferè temporibus luxuriantes, adiacentes agros, ad frugum refocillationem, vtili inũdatione irrigant, atque perfundunt. Quapropter indigenæ, vt reliquæ sterilitatis detrimenta sarciant, magnâ industriâ, vicinos amnium 10 ripis agros exercent, qui perpetuis singulorum annorum satuis restibiles, tantâ foelicitate fata excipiunt, vt triticum, siliginem, & quodcũque frumenti genus, sine multo arandi, occandique labore, reddant. Ex montibus porrò profusi amnes, quindecim, aut 15 viginti, vt plurimum septem aut octo leucarum à feinuicem distantiâ, in mare decurrunt, seseque super littora vsque adeò profundunt, vt omnem proficiscẽtibus viam intercludant, nisi tignis, retibusue, quæ in eum vsum cucurbitis, aut eius generis tomento, suf- 20 farta habent, transmittantur. hæc accola, aquis innatans, fune attrahit, atque alter conto protrudit: hoc modo incumbentem viatorem traducunt. Porrò Peruuini tribus potissimum gentibus distinguuntur, quarum singulæ plures sub se populos, nominum varie- 25 tate distinctos habent; plurimũque inter se moribus differunt, diuersis linguis discreti, frequenter inter se bella gerunt, aut depugnant, veterem obirã. Vestitus omnibus

omnibus ferè idem, foeminæ laneâ veste ad talos vs-
 que propendente, mares indufiolo ad furas vsque,
 superiecto pallio, utebantur. Variò tamen ca-
 pitum tegmine mirificè delectantur, eoque solo ag-
 5 noscuntur, & discerni possunt: nam singuli pro vsi-
 tato patriæ more fasciis simplicibus, tornatilibús-
 que, aut versicoloribus vtuntur. Peruuini medio-
 cris staturæ sunt, tantòque breuioris, quanto æqui-
 noctiali propius succedunt. Indorum tamen caba-
 10 lâ relatum est, apud promontorium Sanctæ Hele-
 næ, gigantum immanium sedem fuisse, qui qua-
 tuor virorum longitudinem æquarent aut supera-
 rent, quorum superbia dijs ingrata, hominibus exi-
 tiosa erat. Tantæ namque erant crudelitatis vt ba-
 15 lenarum marinarúmque belluarum, prædâ non-
 dum satiati, triginta accolas raptos, infandis fau-
 cibus deuorarent. Horum simulachra apud Por-
 tum Veterem, ab Hispanis conspecta sunt. Indige-
 næ verò memoriam eorundem anniuersarijs festis
 20 recolunt, & horrenda de eorum interitu comemo-
 rant: venisse coelitus iuuenem, solis instar rutilantem,
 qui feroces prosequutus gigantes, inque eos, ignes &
 flammâs eiaculatus (quæ ipsas penetrarint rupes) in
 cauâ valle omnes interneccione deleuit. Iohannes Hol-
 25 uius, Portus Veteris præfectus, hisce rebus auditis,
 cum admirabundus eo in loco fodi curasset, tãtæ mag-
 nitudinis costæ erutæ perhibentur, vt balenarum po-
 tius quam hominû videri potuissent, nisi simul erutæ

*Gigantes olim
in Peruvia.*

R

caluariæ,

caluariae, humani corporis ossa fuisse fidem fecissent. Haud à vero alienum est, immanissimos crudelissimosque tyrānos, peruersæ etiamnum Veneris scelere infectos, diuinâ irâ flagrante pari cum Sodomâ & Gomorrâ excidio, è medio sublatos fuisse. Sed naturalē incolarum simplicitatem facile mireris, quando ridiculas nobis negotiationes exercentes, vix inexhaustas suas auri, argenti que gazas intelligebant, aut capiebant. gens alioqui per sese inhumana, leuis, ingrataque, quæ nullâ honoris, aut ignominie cognitione ducitur, morum absurditate insignis: iam olim & carnibus humanis vesci, nulloque discrimine consanguineis, extraneis que iungi, matres sororesque incestis nuptijs copulare assueuerat. Castella locis altis, atque eminentibus niuniebant, vnde leui de causâ inimicitias ciebant, capitalésque exercendo, bella ducebant, captiuosque iure belli mactabant, foedamque in ventris ingluuiem mittebant. Arma illis erant, enses, hastile præpilatum, clauus ferreus, securis aurea, aut argentea, funda, aliâque telorum genera. His libertatem suam multis sæculis tutabantur, donec ab Titicacâ seu potius Intiticacâ lacu, Inge numerofo exercitu Cusconem occuparunt, duce Ingâ Zaphali, qui Cusconicâ in vrbe, fixâ imperij sede, deuictis incolis, breui circumiectam prouinciam perdomuit. Ingarum institutis, populus ad ciuiliorem viuendi modum traductus est, nam & vestimentis, & calceis uti accolos docuerunt, rudibusque iam tum animis, immor-

omne est in
omni

immortalitatis opinionem iniecerunt. Inter hos longâ
 auorum serie succedens Gynacaua, longissimè pro-
 pagatis imperij finibus, Quitonicum regnum, in pro-
 uinciam redêgit. Huius regis opus, memorabiles illæ
 5 viæ, quæ ad perpendicularum directæ, è Quitonico
 agro, Cuscum vsque perducebant, de rasis altissimo-
 rum montium cacuminibus, aut profundissimarum
 valliû clausis hiatibus. Via quæ mare propiûs ducit,
 ad singulorum dierum interualla, palatijs, horreîsque
 10 distinguebatur, in quibus vestis, arma, cômearûsque
 referuabantur, veniêtesque Ingæ cum Palatino comi-
 tatu, vniuersoque exercitu, genialiter excipiebantur.
 Viæ latitudo viginti passus patebat, cuius latera per-
 petuo muro fossâque, aut intercurrentibus riuulis,
 15 muniebantur. Sunt qui sentiant præcedentium re-
 gum operâ, longo temporis interuallo hæc vias
 stratas, & communitas, à Gynacauâ tantùm refe-
 ctas fuisse: quod à vero non abhorret; nam cum tro-
 chleis cæterisque fabrilibus ac mechanicis instrumen-
 20 tis destituerentur, magno labore muro aggerenda erat
 terra, indè lapides in murum prouoluendi, excres-
 centéque operis altitudine, maiorem in modum pro-
 mouendus, eleuandûsque erat agger. Viæ istæ ad
 lineam directæ, neque collibus, neque montibus la-
 25 cubûsque, aut stagnis vllis impediabantur: Sed Pizar-
 ricis Almagricisque tumultibus, multis in locis in-
 tercisæ, libidine nocendi, aut mutuo metu. Habita-
 tur prouincia magnâ vbique incolentium frequentia,

Memorabiles
 Peruvianæ reg-
 ni viæ.

*Maritima re-
gionis Colonia*

*Montana re-
gionis Colonia*

*Montana re-
gionis Colonia*

*Cusco omnium
Peruiana-
rum ciuitatum
præcipua.*

ultra Hispanorum Colonias, quarum quinque in
maritimâ siue planâ regione numerantur. Portus ve-
tus, Sancti Michaëlis, Fanum Trugillum, Regum
ciuitas, & Arequipa. Sed montana regio urbium
frequentiam, hominum cultu, & soli aërisque foelicitate
maritimæ præstare creditur, regumque peculiari
sede & procerum habitatione coli, frequentarique
consuevit. Nam præter vberriam frugum copiam,
pluuijs iuuatur, & puteorum commoditate gaudet.
Infinitis quoque accolarum vicis, & Hispanorum
quinque colonijs, celebratur: quarum prima æqua-
tori proxima, Quito, hinc Leuantum, Guanuco, &
Guamanga, alijs Sancti Iohannis de victoriâ. Harum
omnium regina est Cusco, hominum cultu, fodina-
rumque opulentiâ cæteris omnibus superior, quæ iam
indè ab antiquis temporibus, magno procerum con-
cursu celebrata, totius aulæ & antiquorum regum do-
micilium erat; adeoque sola inter omnes Peruanas
prouincias, ante Hispanorum aduentum, urbis for-
mam faciémque habebat. Mediâ vrbe stat arx qua-
drata, ingenti lapidum mole conspicua: quorum co-
pia quantumuis vicinis ex montibus suppetebat, ijs ta-
men trahendis vehendisque, cum iumenta deessent,
magno & incredibili indigenarum sudore in vnum
locum tracti aut ijs succollantibus comportati sunt.
Ager & frugum vbertate, aurearumque fodinarum
(quarum ingens illic est numerus) foelicitate gratio-
sus, à cœli aërisque temperie mirificè commendatur.

Cuscunes

Cuscones peculiari linguâ vtuntur, quæ post Gyna-
 cauæ victoriam, cunctis sub vnam potestatem reda-
 ctis, aulica & præcipua haberi cœpit, eâque proceres
 vtebantur, & ius dicebatur. Ultra Cusconem est In-
 5 titicaca lacus, quem rapidissimus amnis, aquarum
 in magnum sese spatium effudentium abundantia
 efficit, deinde velut intolerabili onere solutus, in pristi-
 nas alvei sui angustias rediens, iterumque velut ante
 10 illabentium amnium mole increscens, in alterum,
 sed minorem lacum prorumpit, laxatusque tantæ
 molis incubitu, obscuro exitu euanescit, in occultos,
 vt credi par est, specus subsidens, alvei absorpti sub-
 terraneo cuniculo, in pelagus transmissus. Vterius
 Collaones & Charchantes habitant, fodinis & fonti-
 15 bus argentei fluij, quem Platam vocant, nobiles.
 Plata, siue Argyropolis, Hispanorum est colonia,
 non tam ciuium copia, quàm incredibili opulentiâ ce-
 lebris. Sed omnium præcedētium fodinarum famam
 superauit Potosiacarum venarum vbertas, quæ adeo
 20 breui tempore inclaruere, vt multis alijs destitutis, ad
 has magno fossorum numero decursum sit. Peruani
 quantumuis nullâ veri Dei cognitione ducerentur, de
 hominis tamen creatione, de diluuiio, & vltimo ter-
 25 ræ excidio, opiniones quantumuis ridiculas com-
 morabant: sed iam Dei benignitate, euangelij gra-
 tiâ donati, eadem nobiscum sentiunt, & sub poten-
 tissimi Philippi Hispaniarum regis dominio ac po-
 testate, foeliciter conquiescunt, vt absouum nihi

*Equi Peruanis
ante Christia-
norum aduen-
tum incogniti.*

*Oves Peruano-
rum.*

*In Peruvia fo-
dinarum au-
reorum abun-
dantia.*

*Cinnamomise-
ra regio.*

videatur, aliquid de illorum vetustis erroribus, sacrifi-
cijque referre. Illud magis memorabile est, quod in
tantâ omnis generis animantiû multitudinem, per vni-
uersum nouum orbem, ante Hispanorum aduentû,
equorum vsus, imò forma, Occidentalibus fuerit in- 5
cognita. Horum defectum, ouium copiâ natura sup-
pleuit, quæ camelis perquàm similes, præter torosi
pectoris strumam, equorum magnitudinem adæ-
quant, sed ad bellum viribus inutiles: virum tamen
in terga sublatum, per aliquot passuum millia vehunt, 10
sed si fessæ vrgeantur, insidentes, ore conuerso, foedo
odore halitûque conspurcant, quod si sarcinis onustæ
grauentur, in terram proiectæ, nullâ verberum ve-
hementiâ propelli possunt, nisi clitellis exonerentur.
Harum ouium inequitationibus, furtum Otabalicum 15
admissum est, cuius meminit Petrus Cieça. cap. 39.
Vltra aliarum omnium rerum abundantiam, aurea-
rum argentearûmque fodinarum totâ passim Peru-
uiâ ingens est copia, neque vlla penè colonia, quin au-
ri venis splendet. Et præter fodinarum incredibili- 20
lem multitudinem, flumina hîc quoque aurifera, quæ
grumis arenisque rutilantibus, aureo profluxu decur-
rere videntur, teste Apollonio. Fert & cinnamomû,
in regione Sumacide extat arbor, lauri frondibus per-
quàm similis, fructus baccæ sunt, in folliculis tenui 25
corticum circuitu conclusæ, eæ cum folijs ac radice,
arboris cinnamomi odorem, saporem, substantiam-
que habent, sed his longè præstantius cinnamomum
præbent

præbent eorundem folliculorum cortices circumductæ.
 harum arborum magna hîc passim crescit copia syl-
 uestribus in locis, solo terræ aërisque adiuumento sustē-
 tata, præstantiores tamen habentur arbores, quæ pe-
 5 culiari curâ in hortis enutriuntur. Garcias ab Horto
 libro primo capite 15. Simplicium apud Indos nas-
 cētium, negat cinnamomiferam arborem in Ameri-
 câ reperiri: sed aliam sui generis esse testatur. Cinna-
 momiferæ huius regionis tractum, Consaluus Pizar-
 10 rus, multis conflictatus ærumnis detexit. Cuius ex-
 peditionis occasione totius maragnoni cursus, ocissi-
 mē ab ipsis fontibus cognitus patuit. Is in Quitonicis
 Culconicisque montibus ortus, multis effectis mean-
 dris rapidissimo cursu in mare defertur, tantâ incum-
 15 bentium ruentiūque aquarum mole, vt per qua-
 draginta amplius passuum millia, superatâ maris sal-
 sedine, dulces latices præternauigantes experiantur.
 Pizarrus cum relictâ Cocâ, barbarorum municipio,
 ad ingentem hunc fluuium, multis difficultatibus pe-
 20 nē expugnatus peruenisset, vt utrâque amnis ripâ li-
 berè vti posset, nauigium magnâ industriâ infinitoque
 ac penē incredibili labore construxit, quo cum ali-
 quamdiu vsus esset, Franciscum Orellanum nauis ad
 expediendos comitatus præmisit, designato loco vbi
 25 sese præstolari vellet. Sed Orellanus à Consaluo di-
 gressus, siue rapidissimi fluuij impetu abreptus, siue
 æmulus, & noui decoris auidus, incredibili celeritate,
 ad immensi huius amnis ostium, quod septentrionem
 versus

-pauca end T
 .murois

Franciscus
 Orellanus.

versus influit delatus est, velisque, nusquam exspectato Consaluo sociisque, in Hispaniam contendit, huius provinciae praefecturam deposcens, Amazonas, multa que alia affingens, ut voti compos praefecturam auferret. Orellani fluminis ostium quidam multis 5 terrarum spatijs, à Maragnoni ostio abesse volunt: sed nouissimis nauigationibus compertum est, vtrumque fluium ad Picoræ confluentem coire, iunctosque multis effectis insulis, in mare decurrere, quod non abs re hîc monere visum, & priorem opinionem exem- 10 pli causâ, primâ tabulâ exhibuimus. Maragnoni Orellani que ripa, thuriferis arboribus confita, thus profert quod à loco Maragnonû passim vocatur. In hac provinciâ civilibus Hispanorum armis in mutuam 15 perniciem seuitum est, quæ provinciam multis in locis deformarunt, & Indianorum ingentem numerum absumpserunt. Sed hæc ab alijs latius.

Thus Maragnonum.

CASTI-



Franciscus Orellanus

CASTILIA NOVA, SIVE AVRIFERA.

5 **B**RASILIAE, Peruvianisque terris obijci-
 tur Indicae continentis vasta, & late pa-
 tens regio, plurimis diuersissimisque reg-
 nis, ac populis habitata: Nam & Vra-
 bam, Beraguam, Darienem, Popeianam, Carta-
 genam, Sanctam Martham, Benesuelam, & quas
 10 sequenti tabula exhibemus, Andalusiam nouam, Pa-
 riam, Cumanam, & Cubaguam vnionum piscatio-
 ne diuitem continet. Meridiei tractus Brasiliae, Per-
 uanisque regnis cohaeret, a tribus reliquis partibus,
 Oceani vndis pulsatur, & qua septentrionem versus
 15 inclinata prominet, ex aduerso Cuba Hispaniola, &
 Boriquenae littora respicit: dehinc sensim extenuatis
 littoribus, circa occidentis latus in arcum cogitur tel-
 lus, exiguoque adeo concluditur Isthmo, vt ambo
 20 penè inter se committantur maria, perruptisque na-
 turæ catarractis, pacifici maris vndis Septentrio mis-
 ceri velle videatur. Tota Isthmi latitudo octodecim
 aut ad summum viginti passuum millia patet, sed erum-
 pentibus vndique fluminibus, multis in locis laciniata
 terra, Isthmum magis coarctat, sic vt fontes Chagri
 25 fluminis, quatuor tantum millibus a mari absint. Hu-
 ius bimarum Isthmi angustiae Mexicanum regnum,
 Nicaraguam, & Iucatanas terras, aliasque septen-
 trionalis Americae regiones, australibus prouincijs
 S vniunt,

*Indica conti-
nentis Isthmus*

vniunt, atque coniungunt. Isthmi huius fauces obti-
 nent Panama, & Nominis Dei ciuitas, quarum vtra-
 que, orientis & occidentis opes, Europæis vtili com-
 mercio transmittit. Christophorus Columbus tertiâ
 suâ nauigatione, Indiæ continentem primus morta- 5
 lium attigit: Dehinc funestis Hoiedæ & Niquesæ ca-
 lamitatibus, ac Dariensium discordijs infamis, scena
 miseræ humanæ videri potuit. Regionem auri venâ
 diuitem esse, Columbi, & aliorum multorum rela-
 tionibus constat, neque fodinis tantum vtilem, sed flu- 10
 uijs aureas arenas, grumôsque voluentibus abundan-
 tem, parum alioqui fertilis, licet maizium quibus-
 dam in locis proferat. Olim nudi incedebant, mulie-
 res veste lineâ ad genua vsque prominente tegeban- 15
 tur. Domus erant perquàm amplæ, vt interdum in
 vno vico, duæ aut tres tantum mansiones reperiren-
 tur CC, aut CCC. hominum capaces. Gens belli-
 cofa, arma illis arcus, sagittæ, & lanceæ, sagittas ve-
 neno inficiunt, lethaliâque vulnera ingerunt. Supra
 modum crudeles, non tantum inimicos bello perse- 20
 quuntur, & capiunt, captôsque foedis mensis deuo-
 rant, sed stolidæ vindictæ cupiditate amentes, captiuas
 in spem prolis matrimonio iungunt, captiuis que, quos
 ad geniales dapes saginant, sororû affiniûmque puel-
 larum coniunctionem indulgent, vt prognatos ex tali 25
 copulâ liberos, tanquam hostium suorum viscera,
 cum lubet discerpant ac deuorent. Dei cognitionem
 nullam penitus habebant, de animæ verò mortalitate
 ac im-

*Fatum vin-
 dictæ studium.*

ac immortalitate, non idem omnes sentiebant: nam quidam omnia continuo naturæ ordine vicissim nasci ac interire, vitæque finem animæ quoque interitum statuebant: alijs persuasum erat, animas post mortem deferri ad certum constitutum locum, vbi suauiter degerent, continuâque ludendi, edendique voluptate tenerentur. In vniuersum tamen gens supra modum procurandis sepulturis dedita, aurum ac gemmas, plumas versicolores, ac alia quoque præciosa cum defuncto recondebat. Quibus verò animæ immortalitas persuasa erat, etiam panem, & potum, & vestes addebant. Sed iam euangelicæ lucis gratiâ, & antiqua crudelitas, & incredulitas deferebuit, euangeliûmque Catholicorum Regum piâ curâ, illis in partibus per Antistites & sacerdotes magno cum fructu propagatur, erectis passim ecclesijs & Archiepiscopatibus. Vraba iussu Ferdinãdi regis, Castiliæ aureæ siue auriferæ nomen tulit, limites eius à Panamâ Antiochiam vsque pertingunt, & vltra. Regio vasta, multis fluminibus, multoque auro abundat: sed perpetuis pluuijs foeda, & insalubris. Sequitur Popeiana prouincia, in meridie ad Peruiiæ vsque fines excurrens, in Septentrione fluuiio Sanctæ Marthæ finitur. Sanctæ Marthæ prouinciam Rodericus Vastidas, anno M. CCCC. XXIII. detexit. Secundum hanc Benefuelæ regnum; vtraque prouincia multâ auri venâ diues. Smaragdorum quæis nihil viridius vident oculi, hic quoque prouentus.

Castilia aurifera.

Popeiana.

Smaragdorum sectura.

Doct̃or Gonſales Ximenius aduerſo flumine medi-
 terranea penetrans, primus in notitiam Smaragdorū
 deductus, cum ex locis mediterraneis, æquatori vicinis
 adferri didiciſſet, continuatâ aduerſi fluminis nauiga-
 tione, ad Bogoti regnū deuenit, à quo, edoctus fodinas
 hæc vlt̃erius inquirendas, terreſtri itinere, ad Sma-
 ragdorum rupem deductus eſt, tulitque mille octin-
 gentos ingentes Smaragdos: Cuius detectionis famâ,
 ingentes diuitias & nominis claritatem ſibi conciliauit.
 Poſtmodum in multis Peruuix alijsque locis æquatori
 vicinis, paſſim Smaragdorum ſectura frequētata eſt,
 honor tamen eius rei penes inuentorem Ximenium
 manet. Miraculo eſt arbor huius continentis, Punicâ
 arbore maior, ex quâ factâ incifione, laudatiſſimum
 balsamum defudat, tanto laudatius, quod non deco-
 ctionibus, ſicuti in Hispaniâ nouâ, ſed incifionibus
 naturali arboris defluxu colligatur, deficientibûſque
 AEgypti ſeptis, in occidentalibus partibus enatum in-
 ueniri haud temerè miramur. Adeò vt ſi Monardo
 Hiſpalenſi medico credimus, etiam ſi nihil aliud in
 Occidentem nauigationes nobis attuliſſent, non inu-
 tilis fuiſſet Hiſpanorum labor, quum Balsamum hoc
 AEgyptiaco balsamo nõ fit inferius, ſi mirabiles eius
 effectus & vtilitates conſideremus, quando ad ea om-
 nia ad quæ AEgyptiacum olim adhibebatur, Indi-
 cum hoc balsamum ſit efficax, vt idem author libro.
 3. ſimplicium medicamentorum ex Indiâ allatorum
 teſtatur.

*Balsamum In-
 die Occidenta-
 lis.*

PARIA

PARIA ET CUBAGVA.

5 **T**OTVM hoc Cumanæ Pariaë & Cuba-
 guæ littus, à Christophoro Columbo
 detectum & perlustratum, vnionum
 margaritarumque piscatione perquam
 celebre est. Cubagua Orientis lateri
 adiacet, nullo frugum prouentu beata, lignorum &
 aquæ dulcis cum primis penuriâ premitur, ligna ex
 10 Margaritâ insulâ, aquam ex Cumanæ regionis ostijs
 petunt. In Paria passim ingentia coccinei siue brasili
 ligni nemora lucusque: arbores ipsæ in non credibilem
 altitudinem excrescunt: fama est plerâsque vix sede-
 cim virorum brachijs concludi aut complecti posse.
 15 Gignit hæc regio & cassiam fistulam. Hisce in parti-
 bus reperitur monstrosus illud animal quod vulpino
 rostro cætera simiam ferè refert, ac si quando aliò
 proles transferat, vtero exteriori in modum crume-
 næ inuolutas defert. Domos habent ligneas palma-
 20 rum folijs contectas. Rebus familiaribus intentæ mu-
 lieres, agriculturam exercent. Viri arma tractant,
 aut venationibus indulgent. Statis anni temporibus
 totum hoc Cubaguæ & Pariaë littus rubescere autu-
 mant, quod florentium generantiumque ostrearum
 25 signum esse volunt. Sequitur Pariaë, Cumanæ, &
 Maracapanæ ora. Pariaë littus tantâ gratissimorum
 odorum suauitate fragrat, vt renascentis veris patria
 iure cæseri possit. Cumanæ Pariaëque regionis incolæ,

*Cubagua.**Paria Cuma-
na Maracapa-
na.*

ebrietatibus tripudijsque supra modum dediti, olim nudi incedebant: animæ immortalitatem credebant, easque post obitum ad viridantes secretosque elysios campos deferri sentiebant, vbi genio indulgeant, continuisque comotationibus atque tripudijs tempus traducant: quinimo animas vocantes respondentisque sese audire persuasum habebant, si quando in cauis vallium penetralibus Echus vocem percipiant: sed quàm verè Echo aëris & linguæ filia verba aliena insequitur, vocemque sine mente gerit, tam à vero Curianorum abest sententia. Ad meridiem tendentibus occurrit Andalusia noua, Bogoti regno vicina, & Smaragdorum prouentu nobilis. Carybana deinde Carybum anthropophagorum patria originaria, vnde tanquam ex equo Troiano, per vniuersum occidentem insulasque vicinas, certissima humani generis pestis inundauit. Efferum & sanguinariū hoc hominum genus, nullis commercijs nullisue blanditijs allici aut demereri vnquam potuit, sed innatâ crudelitate constanter humani sese generis hostes ferunt & profitentur, multâ humani sanguinis siti, foedisque dapibus, quas auidè appetunt & in ventris ingluuiem demittunt, infames. Quæ lues vniuersum occidentem peruagata, ingentem illis populis terrorem intulit, tantumque crudelitatis opinione valuerunt, vt cætum Indiani visis decem Carybibus, extemplò fuga sibi consulerent. In occidentali limite huius tabulæ, conspicitur Curiana, vbi in commercijs exploratorij siue

*Andalusia
Noua.*

Carybes.

Curiana regio.

siue lydij lapidis, ac stateræ ponderumque auri vsum,
 Hispani magnâ cum admiratione inuenerunt. Curia-
 næ Parixque littora multis vndique insulis cinguntur,
 & septentrionem respiciētibus Antillarum insularum
 5 Archipelagus occurrit, inter quas Dominica, Mati-
 tina, Guadalupa & aliæ vicinæ. Ab hoc tractu ad Oc-
 cidentem prospicientibus Borichenæ, siue Sancti Io-
 annis insula apparet, vulgo à portu diuite, propter
 diuitem auri venam, quam inexhaustis profert ge-
 10 nerosa metallis. Insula in longitudine porrigitur ad
 quinquaginta penè milliaria, in latum patet duode-
 cim aut septendecim, maxima latitudo octodecim
 penè miliaria germanica comprehendit. In insulæ
 15 meditullio montem esse autumant, ex cuius radici-
 bus totius insulæ flumina scaturiunt. Cairabonus flu-
 uiorum maximus, ad septentrionem decurrit, cum-
 que omnes aureis glareis arenisque fluant, septen-
 trionale tamen latus generosioribus fodinis commen-
 datur. Meridiana pars portuosior, frugibusque bea-
 20 tior, maiziū cæterâque necessaria vitæ producit. Co-
 lumbus secundâ suâ nauigatione hanc insulam dete-
 xit; sed Iohannes Pontius Legionensis pacificatâ
 prouinciâ insulanos domuit, & Caparram in Septen-
 trionali parte ædificauit, sed relictâ Caparrâ propter
 25 ingentem aëris insalubritatem, conuersâ ad occiden-
 tem habitatione, Guanica, iuxta ingentem insulæ
 finum in fronte occidentis, habitari cœpit, anno à
 nato Christo M. CCCC. X. sed propter insectorum
 mole-

*Insula S. Iohā-
 nis à portu di-
 uite.*



molestiam, citò quoque deserta, & monstrante Sotto Maggiore, Aguadam Coloniam deduxerunt. Anno M. D. XI. Borichinienses rebellarunt, vocatisque in auxilium Carybibus multos Hispanorum obtruncarunt, sed mox victi & in ordinem redacti quieuerunt. Hoc tumulti memoriae proditum est, Berezillum canem stipendia meruisse, multosque insularium dilacerasse.

Berezillus canis stipendiarius.

HISPA-



HISPANIOLA.

HISPANIOLA prouinciarum totius occi-
 5 **D**ui orbis antiquissima, Cancrī tropicum
 inter & æquinoctialem circulum sita, ab
 oriente ad occidentem in longum porri-
 gitur. Oriens clauditur longo insularum agmine, ab
 occidente Iamaicam & Cubam respicit: quā in latum
 protenditur ad septentriones aut Austrum inclinat.
 10 Septentrionis latus ad Cancrī tropicum fertur; à me-
 ridie quantumuis longo satis interuallo, occurrit con-
 tinens terra Auriferæ siue Nouæ Castiliæ. Hanc in-
 15 sulam primâ nauigatione Christophorus Columbus
 detexit, anno reparatæ salutis millesimo quadringen-
 tesimo nonagesimo secundo, habitatoribusque fre-
 quentem inuenit. A barbaris Hâitti dicebatur, prop-
 ter montium asperitatem, interdū etiam Quisqueia
 & Cipangi, à primis occupatoribus vocata est. Hos
 20 barbarorum Cabalicæ memoriæ ex Matitinâ Insulâ,
 quam alij S. Crucis terram vocant, venisse memo-
 rant. Nam cum ciuilibus factionibus inter se disside-
 rent, & vna pars acri prælio attrita esset, victi relictâ
 victoribus auitâ insulâ, cum liberis & coniugibus no-
 25 uas quærētes sedes, ad exiguam insulam in fluuij ostio
 delati, gaudentes in terram exilière; egressique cum
 maiorem ripam detexissent, admirantes terræ illius
 amplitudinem, Quisqueiam patriâ linguâ nuncupa-
 uère, propterea quod illam totius vniuersi, aut totū,

*Hispaniola de-
 tecta.*

*Origo primo-
 rum habitato-
 rum.*

Nominis ratio.

T

aut

aut partem maximam reputarent, cùmque progres-
 si, ingentium asperrimorumque montium crepidi-
 nes conspexissent, Hàitti, hoc est, asperam dixere.
 Cipangi quoque nomen postea tulit, à similitudine
 montium quos in patriâ habuerant, quorum deside-
 rio totam insulam Hàitti nomine signarunt: eoque ef-
 fectum est, vt Columbus primâ suâ nauigatione cum
 Cipangi & Cibai mentionem audisset, ad Zipangri
 orientis insulam se delatum putaret. Accidit hæc trãs-
 migratio vltra centum annos ante Columbi aduen-
 tum. Sed Columbus diminutiuo Hispaniolæ nomine
 illam insigniuit, dissimili prorsus ratione ac barbari,
 qui ex Paruâ Matitinâ in ingentem hanc terrâ com-
 migrantes, propter amoenitatem & amplitudinem
 Quisque iam vocitarant, quasi parua foret præ His-
 paniâ, ex quâ ipse nauibus aduectus erat. Exigua ter-
 ræ distantia, ab æquinoctij circulo efficit, vt exigua
 illic toto anno dierum noctiumque sit diuersitas. Cum
 cancrum sol percurrit, continuus penè lucis vsus, mi-
 ra illic aëris temperies, quando neque calor immen-
 sus, neque frigus immodicum, quantumuis in qui-
 busdam montosis partibus, vbi altissimarum rupium
 moles conspiciuntur, frigora intentiora sentiantur.
 Toto anno arboribus hic suus stat honos, neque de-
 fluunt folia, nisi noua subnascantur, frutices, herbæ &
 legumina, quæ ex Hispaniâ huc importantur, mirâ
 fertilitate luxuriant, breuîque temporis spatio adoles-
 cunt. Frumentum in locis montanis frigidioribusque
 melius

melius prouenire, experientia docuit. Regio est por-
 tuosa, & multis fluuijs irrigua; præcipuam tamen &
 amoenitatem & commoditatem inhabitantibus præ-
 stant quatuor ingentia flumina, quæ in ipso insulæ
 5 umbilico, delapsa ex altissimorum montium iugis, in
 diuersissimas mundi partes abeunt: Iuna ad orien-
 tem, ad occidentem decurrit Attibunicus, Iacchus
 septentrionalibus, Nâibus meridionalibus aquis mis-
 cetur, sic vt quadripartitò insula diuidatur. Sed quo
 10 tempore Columbus primùm eo delatus est, quinque
 potentissimi reguli siue Cacici, quibus minores pare-
 bant, insulam obtinebant. Orientalem insulæ partem
 tenebat Caiagoia, mediam insulæ planitiem Guario-
 nexus occupabat, Occidentalem partem & Xaraguã
 15 Beheccius regulus obtinebat, Guacananillus Borealis
 partis dominus erat. Septentrionalia hæc littora Chri-
 stophorus Columbus primâ suâ nauigatione detexit,
 ictoque cum Guacananillo foedere arcẽ erexit, præ-
 fidióque xxxviii. virorum cõmuniuit. Reliqua mon-
 20 tana occupabat Caonabus, regulorum omnium potẽ-
 tissimus. Inde prouincia in quinque partes aut præfe-
 cturas à quibusdam diuidi cœpit, harum partium pri-
 ma, quæ orientalem insulæ partem respicit, Caizimu,
 id est principiũ, vocatur, cuius fines à primâ & vltimâ
 25 orientis fronte, ad Ozamam vsque fluuium, in cuius
 ripâ Sancti Dominici ciuitas exstructa est, producun-
 tur; in Septentrione Haitti montibus & Iunâ fluuio
 terminantur. Secunda in meditullio insulæ, Huhabo

*Insula diuisio
per flumina.*

*Insula per præ-
fecturas diuisio*

incolis dicitur. Tertia pars occidentem solem respicit, vocaturque Quisqueiorum linguâ, Caiabo siue Caihabo. In Septentrione Cibauijs montibus, & Iaccho flumine terminatur, & ad Naibæ vsque fluuij fontes excurrit. Bainoa septentrionalia tenet, à Caiabo ad insulæ vsque finem occidentem versùs sese extendens, residuum totius insulæ Guacayarima, hoc est, finem, tanquam posteriorem, & magis arctam seu strictam insulæ partem appellauère. Sed hæc barbarica nomina nunc parum frequentantur, successu temporis nouis subinde impositis aut vsitatis. Inter cætera huius insulæ admiranda, in orientali parte editissimòque môte conspicitur spelunca, quingentis haud ampliùs passibus à mari distans, cuius introitus portam alicuius magni palatij refert, in hoc specu per densos subterraneosque meatus, ingenti impetu flumina per quinque millium stadiorum spatium ferri audiuntur, tanto ruentium aquarum strepitu, vt qui propius accesserit, ad tempus surdescat. Hæc aquarum confluentia in lacum ingentem concrefcit, in quo Charybdes Syrtésque, vndarum breuibus infesta loca. Est præterea in Bainoâ ingens lacus, Indi Hagueigabon, nostri mare Caspium vocant, is infinitis vndique fluuijs auctus, nusquam tamẽ excurrit aut exoneratur, sed cuniculo absorbetur: haud vanis coniecturis creditur rupes hæc spongiosas, per subterraneos meatus maris aquam recipere, quod ibidẽ multitudo marinorũ piscium inueniatur, & aqua maris salugine infecta tota muriatica fit.

Mare Caspium.

fit. Subterraneum hoc mare ventis agitatedum, sæpe multas Indianorum lintres siue canoas demergit. In huius lacus medio insula Guarizanca conspicitur, piscationibus frequēs. Alij insuper quantumuis minores in hac insulâ sunt salsi lacus, est quoque Maguanus lacus, præstantissimis aquis nobilis. salis hic quoque ingens prouentus, nam & in montibus, instar cristalli limpidi effoditur. Ultra supradictos lacus, ingens etiam fluuius in mare falsus decurrit, quantumuis dulcis aquæ infinitis riuulis fontibusque auctus. Auriferam fuisse, iam inde à Columbi temporibus repetitæ nauigationes demonstrant. Gonzales Mendocius totum orientale insulæ latus præter septentrionalia littora, auriferis fluminibus decurrere testatur.

15 Fama est Cibauijs in montibus, tam vehementes luxuriantesque auri venas prouenire, vt instar plantæ vineæque è terrâ prorumpant, aut excrecant: quod in Hungaricis quoque fodinis, vsu venisse relatum, nemo miretur, quando haud ita dudum infanti septenni in Silesiâ aureum dentem natum, multorum testimonio constet. Incolæ naturâ ociosi & desides, victum sine labore parabant, piscationibus dediti, nudi incedebant. Rerum omnium vnum motorem inuisibilem credebant, cætera erroribus inuoluebant: sed diuinâ præueniente gratiâ, in euangelicæ veritatis lumine suauiter conquiescunt. Procedente tempore sacchariferis eò translatis arundinibus, fabricatisque molis terendis cannis, institutisque

Auriferum uberrimum ubertas.

Dens aureus Silesij pueri.

officinis, ingens sacchari prouētus, & secundum fodi-
 nas, præcipuus esse cœpit. Insulæ caput, Sancti Do-
 minici ciuitas, cuius occasione tota insula vulgariter
 Sancti Dominici nomen tulit. Illic regius senatus, &
 Archiepiscopalis sedes, quinque sodalitijs siue mo- 5
 nasterijs celebris. De huius insulæ situ, mirandisque
 aut nouis, qui plura requirit, adeat Domini Petri
 Martyris decades Oceanicas, præcipuè decad. 1. lib.
 3. & decad. 3. lib. 7. 8. & 9. Thomasi Porchaccij
 librum de insulis, & Gonzalis Mendoçæ Sinarum 10
 Historiam part. 2. lib. 3. cap. 3.

CVBA



CVBA ET IAMAICA.

CVBA ex maioribus occidentis insulis,
 ab oriente ad Occidentem solem vergit
 5 haud secus atque Hispaniola, cui ab oriē-
 te contigua est. Occidens Iucatanas ter-
 ras, Mexicanum, & Guastacanum fretum despectat.
 Septentrio cancri tropicum contingit. Meridies Ia-
 maicam ac inde terram firmam Indicam, quantum-
 10 uis longo satis interuallo, respicit. In longitudine ma-
 ior est Hispaniolâ, latitudo non respondet, sed tamen
 quâ maxima est, Hispaniolæ latitudinem penè æquat.
 In insulæ circuitu multi passim scopuli nauigantibus
 formidabiles cernuntur; nam à Septentrione ingens
 15 Carybdis vrget, aquarū incertis vorticibus metuen-
 da, & Australe latus quâ lamaicam aut Iucatanum
 littus spectat Iardinorum scopulis infestatur. Colum-
 bus hanc insulam secundâ suâ nauigatione, Iohannam
 nominauit, sed ab incolis Cubam vocari intellexit:
 20 postea iussu regis Ferdinandi (cuius auspicijs detecta
 erat) Ferdinandinæ nomen tulit. Sunt qui A. & O.
 vocatam dicant, sed hoc nusquam deprehendi: Por-
 tui sanè à Columbo huiuscemodi nomen inditum, te-
 stantur genuini illius temporis scriptores. Regio mon-
 25 tibus aspera, & syluis horrida, sed fluminibus irrigua,
 dulcibus falsisque stagnis frequens, vnde hîc quoque
 falis copia: est & auraria, nam & montes affatim au-
 ri præbent generosis secturis, & flumina aureis passim
 arenis

arenis fluunt. Sex vrbibus habitatur, quarum metropo-
 polis Sancti Iacobi colonia flumine portuque insignis,
 reliquæ ciuitates parum habitatæ perhibentur. Mira-
 culo est conuallis quindecim passuum millibus à San-
 cti Iacobi fano distans, ingentibus faxeisque globis re-
 pleta, ita ludente naturâ ac si mancipiorum operâ eò
 conuecti essent. Vltterius orientem versus progredi-
 endo, apud portum Principis, fons bituminosus assi-
 duè picem euomit. Serpentes, quorum hic ingentium
 copia, in delitijs olim fuisse memorantur. Incolæ, quo
 tempore insula detecta fuit, nudi incedebant, sicut in
 Hispaniolâ, & vt vno verbo concludam, omnia natu-
 ralia atque exotica ibi reperiuntur aut crescunt, quæ in
 Hispaniolâ proueniunt. Ipsa gens naturæ benignitate
 contenta, neque meum neque tuum aut exitialem pe-
 cuniam nouerat, sed omnia in communi possidebat,
 sicuti solem & aquam natura ex æquo omnibus largi-
 tur: apertis itaque viuebant hortis, & sine legibus suap-
 tē naturâ rectum colebant, tantum euangelij lumi-
 ne destituebantur, quod nunc illis diuinâ benignitate
 illuxit.

IAMAICA



IAMAICA.

IAMAICA, quam nunc Sancti Iacobi in-
 5 sulam nuncupant, inter decimum septi-
 mum & octauum latitudinis gradum po-
 sita, in oriente Hispaniolæ, à septentrio-
 ne Cubæ vicina est. Meridies Sancti Bernardi in su-
 las, & Cartagenam respicit. Occidens Iucatanas ter-
 10 ras, seu Fonduram versùs fertur. Iamaica quinqu-
 ginta miliaria in longum protenditur. Regio fertilis
 est, gratâ aëris salubritate, & armentorum prouen-
 tu, quem viridantium herbarum, limpidissimorum-
 que fontium promouet vsus. Auraria quoque esse
 15 perhibetur. Gens lege, ritu, moribùsque in nullo ab
 Hispaniolensibus, Cubensibùsque discrepat, tantùm
 ferociores fuisse memorantur. Frequens olim cultu-
 ribus erat, nunc incolis aut ferro aut mortalitate ab-
 sumptis, rariùs culta, duabus tamen ciuitatibus habi-
 20 tatur; quarum primaria Siuiglia, siue Hispalis, in quâ,
 Ecclesia cum Abbatiali dignitate, vbi primatum gef-
 sit Petrus Martyr Anglerius Mediolanensis, vir in
 tractandis Indicis rebus diligens. In ipso insulæ medi-
 tullio mons est, sed sensim omnem in partem ita sese
 25 inclinât, vt exscensum facientibus, terræ superficies
 plana appareat. Hanc insulam Columbus secundâ
 nauigatione detexit, cùmque vltimâ suâ nauigatione,
 conuersis velis huc delatus esset, desciscentibus à suâ

*Iamaica de-
scriptio.*

authoritate militibus, primum hîc ciuile bellum, prima hic agmina in sua viscera seuientium, occidentales viderunt. Didacus Columbi filius, anno millesimo quingentesimo nono, insulanos rebellantes subegit, & Iamaicam coronæ Hispaniæ stipendiariam tributariamque reddidit.

Iamaica de
scipio

IVCATANA



IVCATANA REGIO.

LUCATANVM littus vndique vastis pene
 cinctū fluctibus, à primis detectoribus in-
 5 fula reputabatur; Franciscus Ferdinandi
 Cordubēsis, tribus carauellis anno à par-
 tu virgineo M. CCCC. XVII. malè sano ausu, has ter-
 ras adiit, diuitiarū tantum famā, & euidentia crude-
 litatis signa referens. Didacus Velasquēus auditā re-
 10 latione Francisci Ferdinandi, anno sequenti Iohan-
 nem Grialuum cum quatuor carauellis, certiora de
 Iucatanā regione exploratum misit. is ex portu Cu-
 benfi ad Cozumellam, siue Sanctæ Crucis insulam,
 hinc Campechium, alij S. Lazari oppidum vocant,
 15 deinde Campatonum delatus, totam Iucatanam pe-
 ninsulam ab eā parte lustravit, Tauascum vsque per-
 uēnit, Hispaniæque nouæ terminos attigit & detexit.
 Oppida illis in partibus in morem nostrum ædificata,
 turritas domos, templa magnifica, vias plateasque
 20 ordine stratas, sese conspexisse retulit. Ingens labora-
 ti auri pondus promiscuis permutationibus pro sericis
 laneis que vestibus, vitreis calculis, ac tintinabulis con-
 sequutus est Grialuus. Specula nostratium parui fa-
 ciebant, quia lucidiora ex quodam marmoris genere
 25 ipsi haberent. Orientalem huius terræ partem tuetur
 insula Acusamilla siue Cozumella, quam Sanctæ
 Crucis vocant, propterea quòd eo ipso die quo eccle-
 sia salutiferæ crucis inuentionem anniuersariā solem-

Acusamilla insula.

nitate quans concelebrat, Grialuus ad Afumamil-
 lam insulam delatus esset. Modico interuallo à con-
 tinente abest, patet in circuitu ad octo mille passus:
 summa hâc aquæ penuria, melle abundat, ceræ ta-
 men vsum incolæ ignorabant. In secretâ abditâ que
 huius insulæ parte, inuentum est templum quadrato
 lapide constructum, multâ religione celebre, in cuius
 meditullio crux visebatur decem palmos alta, quam
 incolæ adorabant, conceptisque votis pluias pete-
 bant, quas, hac adoratione consequi & obtinere sese
 posse credebant: quæ res faciliores illos postea reddi-
 dit ad suscipienda Christiana sacra. Vndè tamen hic
 adorandæ crucis ritus processerit aut promanarit, pla-
 nè incertum est; Petrus martyr Anglerius Mediola-
 nensis refert, incolas à maioribus suis accepisse, quon-
 dam per has terras virum sole lucidiorem pertran-
 sisse, qui in cruce passus fuerit, eâque de causâ crucis
 memoriam semper illis venerandam fuisse. Huius
 insulæ & Iucatanae terræ habitatores, iisdem vtuntur
 moribus: bellicosi sunt, & propugnatores egregij
 habentur, primosque in terram egredi aulos malè
 mulctarunt, arma sunt lancea, gladius, arcus, & sa-
 gittæ. in prælium euntes, galeas ligneas, thoracésque
 ex gossipio habent, in pace nudi & sine armis passim
 incedunt: captos in bello dijs suis crudeliter immola-
 bant, à carnibus tamen oblatorum abstinebant, de-
 ficientibus captiuis aut noxijs, in causam sacrificij,
 pueros puellasque a finitimis, permutationibus com-
 parabant.

*Iucatanorum
 mores.*

*Amillimorum
 mores.*

parabant. Totus huius terræ tractus auro gemmif-
que abundat. Grialuus in piscatorio lembo siue Canoâ
nouem piscatores aureis hamis piscantes deprehen-
dit, & auream cataphracti equitis integram armatu-
5 ram à Pontonchano rege habuit, multâque alia præ-
ciosa hac nauigatione permutationibus consequutus
est, quæ mei instituti non est hic prolixius profequi.

V 3 FONDVRA



FONDURA.



V. CATANIS vicinior est Fondura, media inter Iucatanam & Nicaraguam. Regio fertilis est, omniumque ad vitam humanam spectantium abundantissima. Cere hinc & mellis perinde atque apud Iucatanos copia ingens. Aurum & argentum in nullo usu aut honore erat, abundat alioqui regio aurifodinis, sed nemini effodiendi cura erat. Mexicanorum moribus, vitæque ferè institutis utebantur, sed Nicaraguensium superstitionem & idololatriam sequebantur, quæ postmodum aduentu Hispanorum, & Catholicæ fidei professione antiquata est. Trugillum Coloniam hic deduxit Franciscus Casanus, anno millesimo quingentesimo vigesimo quinto, nomine ductuque Ferdinandi Cortesij. Sed Columbus anno millesimo quingentesimo secundo prius totum hoc Fonduræ latus quartâ suâ nauigatione ad Nominis vsque Dei portum detexerat, quærens peruij alicuius freti angustias, per quas ad vltimum orientem nauigari posset, sed irrito conatu. Hispaniam deinde repetens, mox fatis concessit.

NICARA-



NICARAGVA.

NICARAGVA à Septentrione Fondurâ
 clauditur, in meridie Ineri siue Pacifici
 maris vndis alluitur, ab ortu septentrio-
 nalis oceani fluctibus pulsatur. Regio po-
 pulosa ingentibusque arboribus perquam amœna,
 sed quæ ab aëris potiùs salubritate, quam diuite me-
 tallorum venâ commendetur. Caput gentis est Le-
 10 gio & Granata, has Colonias Franciscus Ferdinan-
 di deduxit. In medio regionis ingens lacus conspicitur,
 multis vrbibus frequens, cuius fontes, vix octo aut
 decem passuum millibus ab occiduo seu infero mari
 distant, paulatimque versus ortum sese protendens, in
 15 ingentem lacum multis insulis habitatum excrefcit,
 ripis deinde conclusus in mare septentrionale effundi-
 tur, sed ad instar maris Oceani æstuans, crescit atque
 decrefcit. Mare hîc impetuofum est, monstris que
 marinis infestum, quæ cum vmbilico tenus extant,
 20 altissimarum nauium antennas æquant aut superant.
 Incolæ albi potiùs, quàm ærei coloris sunt, capillos &
 barbam abradunt, corpus expilant, cirrò tantum ca-
 pillitio in vertice retento, faciem fissuris deturpant.
 Fures rasos expilatof que, ei cui furto nocitum est, in
 25 seruitutem dedunt, deditus, nisi mox sese redimat,
 idolis immolâdus hostia ducitur: nam & hic humanis
 hostijs litant, bellorúmque in istis partibus vnica penè
 causa est, captiuorum cõquisitio in regni expiationem.

De an-

De antiquis Nicaraguensium consuetudinibus, nihil attinet dicere, quando erectis passim cathedralibus ecclesijs, Christianam religionem susceperint. Ipse rex Nicaragua (à quo prouinciæ nomen mansit) cum vxore & liberis vniuersâque aulâ, ac plus quam nouem subditorum millibus, vno tempore sacro baptismatis fonte, abluti sunt. Hoc tamen memorabile apud Nicaraguos inueni, quod duplici olim sacrificiorum ordine, superstitiones suas paragebant, quorum vnus sacrificiorum superstitioni, alter confitentium expiationi nullo silentio operam dabat: reserasse aut protulisse aliquid ex auditis detectisque peccatis, piaculum ducebant morte puniendum. A receptâ fide Catholicâ nihil grauius tulere, quam vetustum & receptum sacrificiorum morem aboleri, sublatis quippe humanis hostijs, omnem penitus belli causam sublata, elanguescentéque animi robore, arma sua rubigine obduci querebantur, & bellatrices manus aratro alligari.

HISPA-



HISPANIA NOVA.

HISPANIA Noua magnis terrarum spa-
 tijs disiecta, à Tauasco, siue Grialui flu-
 mine occidentem versus excurrente, ad
 Sancti Michaélis & Culiacanas vsquè
 terras protenditur. Septentrio finitur Granatâ nouâ,
 alijsque regionibus Noui Mexicani regni nomine
 nunc signatis. Australe littus pacifici maris vndis ab-
 luitur; Occidentalem, seu mauis, Nouam, aut vt
 alij, Magnam hanc Hispaniam, fortuna Iohannis
 Grialui, Ferdinandi deinde Cortesij viuida virtus
 aperuit, quando capto subactoque Motezumâ poten-
 tissimo harum terrarum principe, deuictisque rebel-
 libus postmodum Mexicanis, totam prouinciam per-
 uagatus, Hispanici illam iuris fecit. Comprehendun-
 tur hac Hispaniæ Nouæ tabulâ, præter Guatimalam,
 Guastacana, Mexicana, Mechuacana, Galicia no-
 ua, aliæque prouinciæ quæ omnes inter æquinoctia-
 lem, & Cancris tropicum penè concluduntur, ideò-
 que dierum noctiumque exigua hîc discrimina, & per-
 petuum penè ver. Mensibus Iunio, Iulio, Augusto, at-
 que Septembri assiduæ pluuiæ, leniumque ventorum
 ab utroque mari commodissimi flatus, diurnos, æsti-
 uosque calores disijciunt ac temperant, quæ vera est
 ratio cur istic sub tropico æstiuo commodè habitetur,
 contra antiquorum philosophorum opinionem. Sed
 vt cætera transeam, miraculo est Themistitanæ vrbis

*Cur sub tropi-
 cis hic commo-
 de habitetur.*

X

situs

*Mexicana vr-
bis situs.*

situs & magnitudo quæ Venetæ vrbis in morem, vndique pernauigabilis, sita est in conualle Mexicanæ prouinciæ, vndè postea frequentioribus calculis, ciuitati nomen mansit. Vallis hæc, asperrimis altissimisque vndique penè conclusa montibus, ad sexaginta milliaria, aut CC.LXXX. Italica, in circuitu patet. Solem inter orientem & Septentrionem, euanescentibus montium anfractibus, planior est regio. In radicibus montium ingens lacus nascitur, pars illa quæ montium radicibus propior est, vsibus humanis conueniens, dulces hauitus præstat, ad humanæ necessitatis leuamen, perpetuis quondam riuulis aquæ ductibusque per totam vrbem diductis: sed alia, quæ maior pars est, prorsus falsa decurrit & in morem Oceani æstuat, incrementaque ac decremēta maris sentit aut imitatur. In hoc falso lacu sita est Themistitana siue Mexicana ciuitas, non quidē in ipsius lacus medio, sed quâ terris propinquat. In ripis vtriusque lacus, multæ ac magnæ ciuitates numerantur. Inter falsum dulcēque lacum in ipso introitu, Mexicalcingo conspicitur. Mexicana ciuitas tribus passuum millibus, hoc est, duodecim Italicis milliariibus, in circuitu patere perhibetur. Ex orientis latere non nisi nauigijs, vniligneisque Canois ad vrbem iter patet, alijs tribus partibus continenti iungitur, per amplis atque longinquis stratis vijs siue pontibus. Via quæ ex Mexicalcingo ducit, ad octo, alia, ad milliaria sex Italica patet, breuissima vnus milliariis Italicis spatio à continente abest;

Via

Via ista tanquam ad Lesbiam regulam ducta, ad medium vsq[ue] ciuitatis penetrabant, vbi forum v[er]n[alium] amplis porticibus circumseptum, quod magna coeuntium vndique ciuium frequentia celebratur, quando assiduo mercimonij genere, indi[er]s ultra triginta eumentium vendentiumque millia eo confluant, dispositis miro ordine tabernis, singulis mercatorum collegijs, stationibus discretis: nam & qui aurum factum infectumue, qui gemmas, specula, qui auium plumas, qui pannos, vestimenta que, qui panem, aut frumentum, qui que alia ad victum corporis que sustentationem, vel gazam, & ea que in aestimatione regia sunt, v[er]nalia proponebant, stationibus distinguebantur: neque promiscue, & confuso, vt apud nos, ordine cuiqua[m] prostare permittebant. Medio in foro domus per ampla erat, decem virorum statio, qui incidentes fori contentiones dirimebant, maleficosque legum rigore puniebant. Innumera hic conspiciebantur templa, ipsi Meschitas vocant, vbi suo more idolis litabant. Inter caetera vnum maius, cuius area tanta erat capacitatis, vt designando amplissimo castro sufficeret, circuitus perpetuo muro, & quadraginta altissimis turribus clauderetur, in his regum principumque sepulturae, singulis capellis distinctae. Sacrificijs humanis indulgebant, impurisque suis idolis singulis annis plusquam viginti puerorum millia ferali ritu immolabant. Incolae egregij mechanicorum operum magistri, industrij & sagaces habentur. Mulieru[m] quoque

multitudinem gaudebant, inter multas tamen una erat
 præcipua, cuius filij parētibus succedebāt, reliquæ pel-
 licum loco, earūque filij spurij aut naturales habe-
 bantur. Sed incolis postmodum ad Christianam fi-
 dem perductis, immanes istæ & truculentæ consue- 5
 tudines relictæ, & virtute evangelici verbi, humani-
 tas & benevolentia successere. Cortesius devictis re-
 bellibus Mexicanis, receptam & evastatam ciuita-
 tem, de nouo restaurauit, concessis vectigalium, hos-
 pitumque recipiendorum immunitatibus: sed urbem 10
 ad continentis litus transtulit, obturatosque ac inter-
 cecos bellicis motibus aquæ ductus clausos tenuit: sic ut
 iam alia Mexicanæ ciuitatis sit forma, quam sub
 Motezama fuerat. Mexicana porro ciuitas Archie-
 piscopali sede conspicua est. Antonius Mendocius hic 15
 quoque vniuersale studium erexit, vocatis inuitatis-
 que honestis stipendijs ex Hispaniâ professoribus. Pie-
 tate Philippi præsentis regis anno M. CCCC. LXXVII.
 in hac vrbe, institutum, dotatumque est Patrum So- 20
 cietatis Iesu collegium. Cazon Mechuacanae provin-
 cia rex, audito excidio Themistitanae vrbis, missis le-
 gatis se suaque Carolo imperatori dedit. Mechuac-
 eana regio, Occidentalis magis est, quam Mexica-
 nae terræ. Auri argenti que fodinis diues perinde atque
 Mexicana regio. Caput gentis Cincila, sita in radice 25
 montis propter ingentem lacum. Regio paludibus
 frequens, fontibusque nobilis, quibusdam etiam cali-
 dis aquis fluentibus, ad thermarum usum. Aer regionis
 -militum s X tempe-

*Mexicana ciui-
 tas per Corte-
 sium restaura-
 ta.*

*Mechuacana
 provincia.*

temperatus & salutaris, frumēto, nostrisque fructibus
 conueniens, cerâ, gossipio atque salinis abundat, Am-
 bræ nigræ hîc quoque prouentus. Incolæ pulchriores
 spectabilioresque, quàm aliâ vllâ vicinâ in prouinciâ
 5 reputantur. Hispani colonis prouinciam auxere, inue-
 ctisque atque plantatis moris, bomicū peculiari curâ,
 serici cōmercia instituere. Hinc quoque Mechuacanae
 ignotū radicis genus adfertur, aquis pituitisque, ac ar-
 ticularum doloribus aliisque curandis morbis nun-
 10 quam satis laudatum, postea in copiâ ex Quitone Per-
 uanâ prouinciâ, & Nicaraguâ, adferri coepit. Vlte-
 rius ad occidentem solem tendentibus, occurrit Xali-
 so, seu mauis, Galicia noua, Guadalajara Metropo-
 li, & Compostellâ episcopali sede nobilis. Oceani lit-
 15 tora quæstiosa ostrearum margaritarūque pesca-
 tione celebrantur. Nobilissimus hinc Balsami liquor
 adfertur pari cum Aegyptiaco bonitate certans.
 Proditum à quibusdam scio, Aegyptiacum balsamū
 nuper defecisse, neque vsquam gentium amplius re-
 20 periri, sed nouo munificentissimi creatoris beneficio,
 in Xalisanâ hac prouinciâ succreuisse. Postmodum
 ex Indicæ continentis terris, allatus est huiuscemodi
 succus, ex arbore quoque promanans. Sed & deco-
 ctione balsamum elici ostendit Nicolaus à Monar-
 25 dis, libro de Simplicibus medicamentis ex Indiâ oc-
 cidentali allatis. Culiacana, siue S. Michaëlis pro-
 uincia, Galliciae nouæ pars est extrema. Est, hîc San-
 cti Sebastiani fluuius, qui ex Culiacanis montibus

*Serici cōmer-
 cia in Mechu-
 acanis terris.*

*Mechuacana
 Radix.*

Galicia Noua.

*Culiacana pro-
 uincia.*

profluens, per aliquot passuum millia cæco aditu, ter-
 ræ visceribus absconditur, & in mare Rubrum, aut
 Cortesij defertur, perinde atque Guadiana in Casti-
 liâ, & Niger in Africâ, qui ex cænooso, paludosoque
 lacu ortus, & ad septentrionem delatus, per sexagin- 5
 ta penè milliaria, intra terræ viscera prolapsus, cuni-
 culo rursus erumpit, & Borneo lacui miscetur, solem-
 que occidentem sequutus, in Athlanticum oceanum
 tandem euoluitur. Coloniam hîc vnam Hispani, San-
 cti Michaëlis deduxerunt. Reliqua prouincia, pluri- 10
 mis sed exiguis barbarorum vicis habitatur. Regio
 argentifodinis abundat. Incolæ secundùm maris lit-
 tus, vt plurimum ichthyophagi, reliqui siluestres, &
 ipsi in syluis feras consecretantur. Nuñus Gusmanus,
 totum hoc Galliciaë littus detexit. Compostellam & 15
 Guadalajaram fundauit. Compostellæ nomen impo-
 suit, vt hæc regio sicuti asperitate montium Galliciaë
 orientali assimulatur, ita eiusdem quoque nominis ci-
 uitatem haberet. Guadalajaram à patriæ suæ nomine
 vocauit, cum antea Tonalla diceretur. præter has, 20
 Sancti Spiritus, & Conceptionis ciuitates fundauit, &
 Sancti Michaëlis, cuius superius meminimus, in Cu-
 liacanâ prouincia, Coloniam deduxit.

NOVA



NOVA GRANATA.

5 **H**ISPANIAM & Galliciam Nouam ponē
 sequitur Zuny siue Ceuola, quam No-
 uam Granatam vocant. Anno à nato
 Christo. M. CCCC. XXXVIII. pacatâ No-
 uâ Hispaniâ, viri aliquot religiosi zelo propagandi di-
 uini cultus, ad vltiores populos penetrarunt, quo-
 rum habitatio nondum fuerat detecta. Inter hos tra-
 10 ter Marcus Nizzenfis, instituti diui Francisci, Cu-
 liacanam prouinciam adiit, inde cum itineris duce &
 interprete, inter Occidentem & Septentrionem ten-
 dens, plurium dierum itinere, plusquam tercentum
 passuum millibus peragratis, multa in reditu de Ce-
 15 uolâ & patriâ Septem Ciuitatum referebat. Cùm que
 regiones ibi populis frequentes, auri venâ, cyani lapil-
 li, quem Turchinam vocant, prouentu nobiles, pe-
 core & Ianâ abundare testaretur, tantum effecit, vt
 Cortesium, tum maris Australis præfectum, & An-
 20 tonium Mendozam, regni Mexicani Præsidentem, de-
 tegendi has oras cupido caperet. Mendoza euocatum
 Petrum Aluaradum, Guatimalæ præfectum, mox
 illo è viuis sublato, Franciscum Vasquium Corona-
 tum cum CCCC. equitibus, & iusto peditum Hispa-
 25 norum, & Indianorum exercitu misit. In itinere mul-
 to frigore gelidifque penè niuibus confecti, equos plu-
 rimos amisère, multi Indianorum fame periére, Ha-
 bitatores, Hispanis pacem petentibus, nihil pacati
 respon-

*Granata noua
detectio.*

*Fratri Marcò
Nizzenfis pe-
regrinatio.*

*Aluaradum
Nizzenfis*

respondebant, bellandi potius causâ quàm pacis bene-
 volentiæque (quam præstari cupiebant) armatos, fi-
 nes suos intrasse querebantur. Desperatâ pace, His-
 pani ciuitatem oppugnauère, strenuè defendentibus
 & propugnantibus oppidanis, sed tandem deserto op- 5
 pido fugâ sibi consulère. Vacuam ciuitatem nacti
 Hispani, Granatam appellarunt, manetque in ho-
 diernum diem, Nouæ Granatæ nomen. Ciuitas du-
 centis plus minus ædibus cõstabat, domus lignæ sunt,
 sed quatuor aut quinque contignationibus euectæ, so- 10
 lèt & subterraneos specus aperire iniecto multo fimo,
 suffugium hyemi, quia rigorem frigorum eiusmodi
 locis molliunt. Temperatura climatis frigidior est,
 quantumuis ab æquinoctio vix XXVII. gradibus absit,
 propter montium asperitatem & præiacentes niues. 15
 Maizium tamen foeliciter crescit, pellibus abundât,
 ex quibus vestes ocreasque conficiunt. Mulieres crines
 funiculis nostrum in morem intertextis capiti aptant,
 breuibus amictibus velantur, cætera intectæ. Regio 20
 alioqui sterilis, arenis impedita, & exigui prouentus.
 Septem ciuitatum prouinciam, quam Marcus Niz-
 zensis tantopere extulerat, Coronatus vix quadrin-
 gentis incolis habitari comperit, pro diuitijs quas ani-
 mo præceperat, tantum niuium hic abundantiam, 25
 famem, rerumque omnium indigentiam inueniens,
 detestatus infaustum iter, Quiuiræ terris successit, si
 melior lætiórque ibi fortuna occurreret, sed infœlici
 successu vt mox dicemus.

*Septem ciuita-
 tum prouincia.*

CALIFOR-

CALIFORNIA.

5 **C**RANATÆ ad occidentem adiacet California, freto tantum, quod à meridie influit separata. Sinus iste ad CC. XXX. miliaria Italica terris infertur, haud aliter atque sinus Arabicus, aut Rubrū mare, quod Asiam
 10 fretum, Rubrum mare vocarunt: quidam quia mari Hadriatico, quod Italiam inter & Illyricum fluit, haud absimile sit, Hadriaticum quoque dixere, quibus ego tantò libentius assentior quanto Californiae sinus, Italiae similior est. Sequitur longo terrarum spa-
 15 tio Deceptionis promontorium, vnde quibusdam visum erat, pedibus ad Sinarum regiones, & Tartariam per vltimum occidentem iter patere: sed experientia contrarium docuit. Tota hæc terræ pars frigida, & parum habitata, Granatensium pene mores
 20 vitæque rationem Californienses sequuntur.


*Mare Rubrum
occiduum.*

*Deceptionis
promontorium.*

Y QVIVIRA



QVIIRA ET ANIAN.


 D yltimum vsque Occidentis limitem
 pertingunt Quiira & Anian, coeli incle-
 mentia, & multâ paupertate penuriâ-
 que cognitæ. Aniam regni fines Boream
 versus excurrentes, arctico circulo subiiciuntur, &
 nisi oceanus æstus impediât, Orientalibus Tartarorum
 Sinarumque terris coniungerentur. Anianæ istæ an-
 gustiæ per septentriones intra arcticum circulum ad
 Groenlandiam, Islandiam, Angliam, nostrumque
 septentrionem ducunt. Hoc itinere, quibusdam pla-
 cet, Indianos olim abreptos tempestatibus, in Sueuo-
 rum & Germaniæ littora peruenisse, quos à Sueuo-
 rum rege, Quinto Metello Celeri, Galliæ tum pro-
 consuli, dono datos esse testantur. Hanc viam tenta-
 uit Martinus Forbisserus anno M. CCCC. LXX. quæ-
 rens expeditum ad Cathaios iter, magnâ vbiq; di-
 uitis harum terrarum venæ aureæ famâ, quam ta-
 men fefellisse, tertîâ Forbisseri nauigatione, magno
 nimium credulorum quorundam mercatorum dam-
 no relatum est. Sed Quiira hætenus paucis tantum
 littoribus cognita, extra omnem nauigationis cursum
 sita est. Vasquij Coronati milites, cum in Ceuolâ
 nullum auri vestigium reperissent, ne vacuis manibus
 Mexicanas terras repeterent, fortunam tentare, &
 vltius progredi statuebant, si qua vsquam benignior
 sese fortuna offerret. in quam spem à nonnullis accensi
 sunt,

Martini Forbisseri
 nauigatione.

Vasquij Coronati
 nauigatione.

Martini Forbisseri nauiga-
 tio.

Vasquij Coro-
 nati iter.

sunt, cum Tichuico Tiguexam venissent, illic enim Quiuiræ fama à quibusdam in maius celebratâ, credulis (quia ita cuperent) militibus persuasum est, Tarraxum regem potentissimum in Quiuirâ longè lateque rerum potiri, salutiferæque Crucis & diuæ Virginis memoriam venerari, lætis militibus, quod tot terrarum spatia emensis, aliqua melioris fortunæ spes affulsisset. Continuatis itaque itineribus Cicuicam, mox Quiuiram peruenere. Cicuica, XXI. gradibus, aut CC. XX. penè æquinoctialibus passuum millibus à Quiuirâ abest. Totum hoc iter altis arenis impeditum, perpetuâ sterilitate infame, neque lapidem, neque herbam, aut arborem penè centesimo milliari habet. Vaccarum hîc insolitum genus, quarum copia commodè inedia exempta, erectis que struibus, aut tumulis, exillarum ossibus cornibusque, itineris incerta spatia tanquam in vasto Oceano notabantur. In arenosis hisce desertis, oberrante Coronato, exortâ subito grandine, lapides pluit oui anserini magnitudine: huius rei nouitate Hispani mirum in modum consternati, ad lachrimas precésque versi, cœlestem iram deprecabantur. Tandem Quiuiram deuētum, ubi Tarraxum senem, pro quo tot tantosque labores exantlarant, nudum æneo monili seu emblemate (quæ tota ipsius erat gaza) ornatum inuenere. Milites, viso Tarraxo cum suâ credulitate sese delusos senserunt, fastiditis propositis Hybernis, nihil morati properè Tiguexâ rediere. Quiuira quadraginta

Tarraxus.
Quiuiræ rex.

Ingenitæ Qui-
uiræ canes

Quiuiræ

Quiuiræ

graduum habet altitudinem; secundum littus maris,
 regio satis pascua est, Vaccarum hic ingens copia,
 dorso incuruo, aut gibboso, ad instar Camelorum,
 cuiusmodi vaccas Paulus Venetus libro primo capite
 XXII. in finibus Persidis sese vidisse testatur: harum
 carnibus vescuntur, panis usum prorsus ignorant, gre-
 gatim, Arabum, Nomadumque in modum vagan-
 tur, vbi nox aut pascuorum commoditas illos oppresse-
 rit aut inuenerit hæret aut confidunt, captantes irriguo-
 rum pratorum commoditatem. Cæterum à iumen- 10
 tis istis præter victum alia quoque incolis vitæ com-
 moda obueniunt: nam pellibus mapalia sua contegunt,
 pellibus vestiuntur calceanturque, ex pellibus arcui
 nervos aptant, ex ossibus subulas, ex nervis fila, è cor-
 nibus tubas aptant, vesicis vitulorumque pellibus a- 15
 quam colligunt & conseruant: vnius denique huius
 animantis exuuiæ, ad instar gazæ, in summâ omnium
 penuriâ abundè illis satisfaciunt. Ingentes quoque in-
 star leonum nutriunt canes, quorum operâ in trans-
 migrationibus, iumentorum loco vtuntur. Visitur 20
 hinc quoque animal quod equi similitudinẽ habet, lingo
 è fronte prominente cornu, fortè hætenus rarius visi
 unicornes! quales ex omni memoriâ Lodouicus Ro-
 manus duos intra Mechæ septa sese vidisse refert ex
 Aethiopiâ allatos. Est hoc animal, vt idẽ refert lib. I, 25
 capite 19. coloris equi mustellini, capite ad instar cerui,
 collo non oblongo, rarissimisque iubis, in alterâ solum
 parte dependentibus, tibijs præterea tenuibus atque
 gracili-

Vacca Gibbosa

.CIVS VITA IN T
 .CIVS VITA IN T

*Ingentes Qui-
uirsum canes**Equi sylvestres**Unicornes.*

gracilibus hinnuli instar: vngulæ anteriorum pedum
 bifidæ caprinos pedes referunt, crurum posteriorum
 pars exterior villosa pilique plurimi: animal efferum
 videtur, ferociam (vt idem inquit) aliquâ comitate
 5 leniente. Aloisius Cadamustus, nauigationis suæ ca-
 pite quinquagesimo refert ex captiuis Nigritis ad ca-
 put seu promontorium de Monte degentibus, Princi-
 pi Lusitaniæ relatum fuisse, in patriâ illorum vnicor-
 nes viuos reperiri, hæctenus tamen nihil à quoquam
 10 certius relatū. Vero similis est syluestres esse equos,
 qualium assidua venatio in Armeniæ montibus esse
 perhibetur; quod si hæc occidentalis fera ex vnicorni-
 um numero foret, magno sæpius operæ precio negle-
 cta hæctenus Quiuirenſis, aut Aniana peregrinatio
 15 nauigatioque frequentata foret. Et ne Dracus qui-
 dem ex nouâ suâ Albione (nam sic Quiuiram indi-
 getauit) simile quidpiam retulit, sed detestatus frigo-
 re horrentes terras, cum in latitudine tantum quadra-
 ginta duorum graduum essent, die quintâ mensis Iu-
 20 nij conuersis velis ad Austrum, cursum direxit.

Y 3

CONI-



CONIBAS REGIO CVM VICINIS GENTIBVS.

EX occidente orientem repetendo, vsque ad Canadensium & Nouæ Franciæ fines, occurrit Conibas regio, variæque nationes supra Floridam & Hispaniam Nouam degentes, quarum quidem clima in frigiditate & perpetuo gelu, cum Quiuirâ & Aniani regni finibus certat, nominibus tantum inter sese discrepant. Sunt Auanares, Alabardi, Calicui, Tagiles, Capasci, & sexcenta alia nomina, ipso penè timenda sono. Vno verbo dicam, nationes feræ, indomitæ, & sine lege, continuis inter se bellis conflictantur, in auis montanisque locis geniti & educati, pernicio cursu plurimum valent, aëripedemque ceruum cursu præuere creduntur. Sed Auanares Indianorum callidissimi, præter Americanorum omnium consuetudinem, stratagemate grassantur, nocturnisque ac subitis incursionibus, hostes quantumuis longinquis ex partibus, adoriuntur, ingentiâque terrarum spaciâ emensi, semisopitos trucidant, aut captiuos abducunt. Cæterum omnes in summâ religionis ignorantia versantur, Satanicisque illusionibus vexationibusque ante Christianorum aduentum, referente Aluaro Nunnio, incredibiliter diuexabatur. Ad feras hæc gentes penetrarunt, Aluarus Nunnius, Cabezza de Vaccâ, Andreas Dorantes, Alphonsus Castellanus;

Auanares nocturnis excursionibus grassantur.

nus, & Stephanus Azamorus, ex reliquijs infœlicis Pamphili Naruezij, qui spatio nouem annorum, nudi, famelici, omniumque egeni, has regiones peragrarunt, seu potius pererrarunt, vbi curationibus infirmantium operam dedisse, diuinitusque gratiã curationum donati, mortuum in nomine domini suscitasse feruntur, eoque grata apud hosce populos illorum memoria. Nunc omnes hæ regiones quasque præcedentibus duabus tabulis descripsimus, Nouæ Mexicanae prouinciæ nomine signantur, quam Antonius Espeius Cordubensis anno M. CCCC. LXXXIII. denuo aperuit aut detexit. Recensentur quindecim prouinciæ, sed nominibus discrepantes à priorum detectorum, scriptorumque nomenclaturis. Quã de re, ne longior sim, consulenda Reuerendi Patris Iohannis Gonzalis relatio regni Chinæ, part. 2. libro. 3. cap. 7. 8. 9. & 10. nunc nihil repetam.

FLORIDA.



FLORIDA.



CHRISTOPHORI Columbi, comitumque expeditionis fama, & multiplex Indicarum opum in Hispaniam relatum specimen, totum repente terrarum orbem peruaserat, & in aula Henrici Anglorum regis septimi, omnium animos in rerum ingentium spem, & eiusdem itineris cupiditatem erexerat. Celebrabatur Columbi ingenium, & singularis animi constantia, iamque regem tædebat intempestiux repulsæ, oblatamque à Columbis fratribus fortunam e manibus elapsam, tacitus indignabatur. In nouarum tamen terrarum spem erectus, deductis celeriter ornatisque omnibus rebus duabus nauibus, Sebastianum Gabotum ingentibus promissis oneratum, quam longissime prouehi, & fretum aliquod peruium inquirere iussit, quod ad Cathaios Orientis populos, compendio duceret. Anno itaque millesimo quadringentesimo nonagesimo sexto, Gabotus ex Angliâ soluens Cathaium versus iter instituit, sed ab instituto cursu aberrans, ad septentriones sese delatum sensit, propositum nihilominus iter prosequabatur, quærens aliquem maris sinum qui inter Occasum & Boream sese conuerteret, & ad Orientem penetraret: sed cum post multorum dierum nauigationem littora versus ortum inclinare sentiret, repetito cursu ad æquinoctialem descendit, si forte ab illa parte intercurlante mari pateret

*Sebastianus
Gabotus.*

pateret tellus, aditumque ad Orientem præstaret. In hoc proposito nauigans, delatus est ad terram, quæ iam Florida dicitur, vbi substitit, irritoque conatu conuersis velis in Angliam redijt. Hactamen nauigatione tantam rei maritimæ existimationem consequutus est, vt succedentibus temporibus à Ferdinando & Isabellâ ad Brasiliæ maritimam oram lustrandam missus, etiam Argentei fluminis portum primus subiuerit. Sic primùm detecta fuit Florida, nullo tamen nomine signata. Postea Ioannes Pontius Legionensis, præfectus insulæ Borichenæ siue Iohannis de portu Diuite, principalibus codicillis Bimini præfectus & Adelantadus illius oræ renunciatus subductâ classe, cum terram attigisset, arcemque aut oppidum in continente moliretur, subitanâ incolarum irruptione oppressus, amissis penè omnibus socijs, ex vulnere breui post tempore in Ferdinandinâ insulâ mortuus est, totusque ille apparatus intercidit, prouinciâ que inuentori suo exitiosa, inexplorata relinquebatur: Retinuit tamen Floridæ nomen quod à Pontio acceperat, cum ipso Palmarum die in terram excursionem fecisset, teste Petro Martyre: alij contradicendi studio aliò referunt nominis originem, nempè quòd tota viridis floridâque sit, stratis etiam vndis viridantibus herbis; sed penes authorem sit huius rationis fides, cum nusquam ab alijs consonantia tradantur. Mansit ad tempus prouincia intacta, nemine sibi illam deposcente, propter inhabitantium ferociam. Procedente deinde

Florida prima detectio.

Iohan. Pōsius.

Florida nomē à Pontio impostum.

Z

tempore,

*Ferdinandus
Sottus.*

tempore, Ferdinandus Sottus, deuicto Atabalipã Peruanis spolijs auctus, maiora animo voluens, Præfecturam hanc à Carolo Imperatore obtinuit, multisque veteranis militibus scriptis, Floridam adnauigauit, anno trigesimo quarto supra millesimum quingentesimum, sed aurarijs nimium inuestigandis intentus, nullâ curâ vrbs deducendæ condendæque, dum per prouinciã vagatur, non inuentis quas crederat, auri secturis, moerore confectus interiit, milites socijque passim à barbaris cæsi & discerpti sunt. 10

Situs Florida.

Præcedentibus temporibus ab indigenis Iaquaza dicta est. Circumscribitur hæc prouincia latissimis finibus, ab ortu Bahamam & Leucayas insulas habet, in occidente Mexicanæ prouinciæ terminos attingit, à meridie Cubam & Iucatanas terras respicit, excurrens in modum Isthmi ad centum passuum millia, quaque angustissima est, triginta milliariũ latitudinem occupat, in septentrione supra Floridam sunt Canada, Virginia, Auanares, & Noua Francia. Regio in uniuersum plurimis riuis fluminibusque irrigua, eoque humidior & in maritimis locis arenosa, vadisque metuenda. Incolæ colore sunt æneo, quem certâ inunctione & solis ardore contrahunt, cum tamen recenter nati, satis albi sint. Ingenio vero vafro sunt ac subdolo, ad bellum & vindictam prouisi. Arma sunt arcus, sagittæ veneno armantur, venationi & piscationibus mirum in modum indulgent. Reges continuis bellis in mutuam perniciem sæuiunt. Magna illis
annonæ

annonæ cura; Maizium Martio & Iunio ferunt, ter-
 tio dehinc mense maturum colligunt, ac in publica
 horrea recondunt, mox singulis pro cuiusque neces-
 sitate & dignitate distribuunt. Ingens hic Crocodilo-
 5 rum copia, cum quibus assiduè belligerantur, & tan-
 quam aduersus armatos vndique circumfusos hostes,
 in perpetuo metu excubijs vigilijsque sese tuentur. In
 annonæ penuriâ serpentes, araneas, aliâsque sordes
 deglutiunt, sicuti & Auanares eorum vicini. Abun-
 10 dat regio Hermaphroditis, quorum seruili operâ
 mancipiorum iumentorumque loco vtuntur. Ani-
 marum immortalitatem credunt, cætera, idolola-
 træ. Regio varijs fructibus beata est, variôque gene-
 re animalium, volatiliûmque abundat, auri & ar-
 15 genti inter illos commercia, & in montibus Apalchi-
 cis ingentes riui oriuntur, auri argentique arenas pro-
 uoluentes, quas incolæ ripis per fossas diductis, col-
 ligunt, & secundo flumine ad maris littora venales
 deferunt. Post infauistas & funestas Pontij, & Sotti
 20 nauigationes, Iulianus Samanus, & Petrus Ahuma-
 dus Prouinciæ huius præfecturam deposcebant, sed
 Carolo Imperatori, Indicôque senatui consultius vi-
 sum est, religionis & pietatis opinione rudes agresti-
 um & ferocium hominum animos emollire, quando
 25 Ferdinandus Sottus insolenter suâ potestate abusus,
 oppressione & seruitute incolarum exitium sibi pro-
 curasse, gentemque per se ferocem ad arma conci-
 tasse ferebatur. Indici itaque Senatus decreto, anno à

Annonæ cura.

*Crocodili per-
nitiosi in Flo-
ridâ.*

Aurifera regio

*Fra. Ludonici
Baluastrij in
Floridam iter
& successus.*

*Crucifixus
in Floridam
adit*

*Iohan. Ribaldi
Galli nauiga-
tio.*

*Horreda famis
exemplum.*

*Renati Lando-
nieri nauiga-
tio.*

*Gourguesij na-
uigatio.*

nato Christo M. ccccc. XLIX. Eò missus est Frater
Lodouicus Baluastrius, ordinis Sancti Benedicti,
cum quatuor religiosis. Is Floridam adnauigans,
euangeliumque pacis nuncians, confestim à barbaris
cum duobus socijs crudeliter discerptus perijt, in-
teremptorum eutem detractam compertum est bar-
baros in templorum suorum foribus, ad æternam rei
memoriam suspendisse: hoc spectaculo reliqui con-
territi ad mare ocius fugerunt, velisque sublatis His-
paniam repetiuerunt. Succeedentibus temporibus,
Galli, tempore Caroli Noni, duce Iohanne Ribal-
do, Floridam versus enauigarunt, extracto ibidem
propugnaculo. Improspere tamen hæc illis celsit na-
uigatio, nam animis discordes dum à suis sese negle-
ctos putant, subitario opere nauem extruxere, vt in
Galliam repedarent, sed in itinere tam diræ atque
efferæ famis necessitatibus subacti sunt, vt proiectâ
forte vnum ex suis corripuerint, insanisque faucibus
absumpserint. Alteram æquè infaustam nauigatio-
nem duce Renato Landoniero susceperunt Galli
anno M. ccccc. LXII. extractâ arce Carolinâ, ad
fauces fluuij quem Galli *May* vocant, quod Maij
Calendis primum ab illis conspectus esset: sed breui
ab Hispanis occupatâ arce, captoque Ribaldo, qui
secundâ istuc nauigatione aduenerat, totus conatus
Gallis luctuosus fuit. Biennio post Dominicus Gour-
guesius, priuatis impensis comparatâ classiculâ trium
nauium, cum centum quinquaginta militibus &
octo-

octoginta nautis vltus Gallorum manes, Caroli-
nam arcem recepit, euertit, ac solo æquauit. Sed in
reditu cum à rege suo hoc factum iniquo animo accipi
intelligeret, quieuit, neque vlla amplius Gallorum in
5 Floridam expeditio memoratur, mansitque Hispa-
nis vacua harum terrarum possessio.

Z 3 VIRGI



VIRGINIA.

HUNC quoque maris terræque tractum, Hispanicis classibus enauigatum fuisse, littorum regionumque nomenclatura demonstrat: nam Floridam emensis, statim Arenarum caput occurrit, siue de Arenis. Regio hæc ad Norombegæ usque terras, Norombega ad Franciam usque Nouam, & Baccalearum sinus excurrit. Sed de quâ agimus Virginia, extra communem nauigantium cursum sita, rarius frequentabatur, Anglorum demum nauigationibus innotuit. Nomen à Viguino regulo, seu, ut mauult ille qui Francisci Draci expeditionis anno M. CCCC. LXXXV. ad occidentales Indias diarium aut commentarium edidit, ab Elisabethâ Angliæ Reginâ nomen tulit. Prima ad hunc parallelum Valteri Rallegi fuit nauigatio, plures deinde succedentibus temporibus huc directæ sunt, duobus Richardo Greinuillio, & Radulpho Lauio, faustisque omnibus Anglorum Colonia hic coaluit. Sed anno M. CCCC. LXXXVII. cum rerum omnium inopiâ premerentur, eodem Lauio prouinciam deferente, coloni nauibus Francisci Draci, ex prædatione Indicâ eò commeantis, in Angliam redierunt. Horum relationibus Virginia aduerso rumore laborare cœpit, detrectantibus plerisque colonis redire, & in tam longinquam infaustamque nauigationem nomina dare. Incolæ nudi incedunt, cutem coloribus, punctu-

Nominis origo

puncturisque inficiunt, aut deturpant. Verenda ferinis pellibus contegunt, promissam capitis comam nutriunt, dependentesque crines in nodum colligunt, sed verticem ad instar cristæ gallinacei detondent, quem oblongâ versicolore pluma ornant. Afsiduis venationibus feras insectantur. Arma sunt arcus & sagittæ. Oppida exigua, decem aut duodecim ædium capacia: defixis humi palis, seu palissadis, angusto aditu, in orbem ædificant, templo principis, procedentiumque mansionibus, & areâ, seu foro rerum vœnalicium, domibusque incolarum, circumquaque in circuitu distinctis affabreque collocatis. Gens æqui bonique tenax, iustitiam exercet, animæ immortalitatem sentit, sed saltationibus afsiduis, intempestivisque computationibus ad instar aliorum Americanorum, intemperanter indulget, à carnibus tamen humanis abstinet. Sed de moribus & naturâ indigenarum, deque alijs Virginie commoditatibus aut mirabilibus plura ex descriptione Iohannis VVyts, & relatione Thomæ Harioti præfati Rallegi domestici, per Theodorum Brium singulari libro descripta, & æneis formis incisa circumferuntur.

NOROM-



NOROMBEGA.

Vlterius septentrionem versùs occurrit Norombega, ingenti fluuio oppidò que insignis, sed nullâ aliâ re memorabilis. Vnde Norombegæ nomen & regioni inditum sit, incertum est. A Barbaris Agguncia dicitur. In ipso fluminis introitu insula conspicitur piscationibus oportuna. Regio quâ maritima est, piscibus, quâ Nouam Franciam, & terram firmam contingit, venationibus frequens, feris abundat. Norombegani Nouæ Franciæ ritus, & viuendi morem sequuntur. Gallorum naues hîc quoque suas stationes habuisse, argumento est Claudia insula.

NOVA



NOVA FRANCIA.



OTVS hic terræ tractus ad Baccala-
rearum vsque regionē, Chilagam, Ho-
chalagam, Honguedam, aliasque re-
giones comprehendit. Nunc Francia

Noua appellatur. Incolæ omnes com-

muni nomine Canadenses vocantur. Britones &
Normani anno à Christo nato M. CCCC. III. has

10 terras inuenēre, dum a fellorum marinorum piscatio-

ni intenderent. Postea Iohannes Verazzanus, auspi-
cijs regis Galliæ, insulam & promontorium Brito-

num detexit. Mox captus, & à barbaris deuoratus,
inœlicem exitum habuit. Iacobus Carterius postmo-

15 dum totam hanc plagam perlustrauit. Sed Galli cum
nulla auri vestigia deprehendissent, facile cœptam

nauigationem intermisēre. Incolæ colore albo sunt.
Porro quā ad austrum vergit regio, eiusdem penē

cum Galliā temperaturæ est, sed in Saguenayis, alijs-

20 que septentrionalioribus, similisque eleuationis terris,
perpetuā hyeme riget tellus. Hochelagienses ad natu-

ram in communi viuunt, nullam bonorum proprie-

tatem agnoscentes, neque quidquam eorum curant,
nisi quæ ad victum facilēque vitæ sustentationem

25 facere intelligant. Canadenses in perpetuo mercimo-

nij vsu, assiduis peregrinationibus exercentur. Gaza
horum populorum est albi Corallij species, quam
Esurguy patriā linguā vocant. Vltiora versus

A a

Septen-

Esurguy albi
corallij species
Canadenses
vocat.

Canada sine
Noua Francia
procurator
vocat.

Iohannes Ve-
razzanus.

Iacobus Carte-
rius.

Apud Hache-
lagienses bono-
rum communitio.

*Esurguy albi
corally species
Canadensium
gaza.*

*Canada siue
Nova Francia
peculiaris mor-
bus.*

Ameda arbor.

Baccalarearum regio.

Septentrionem incognita hactenus permāsere, prop-
ter immensi frigoris asperitatem. Tempora ad Lunæ
rationem metiuntur, sicut & reliqui Americæ popu-
li. Iaspis & Casidonium lapis his terris reperitur. col-
ligitur & adamantis adulterini, seu cristalli quoddam
genus, vulgus Mangonum, Canadenses, specioso
nomine vocat. Auri hinc nullus prouentus. Peculiaris
hiscæ in terris morbus corpora humana infestat, con-
tagio grassans haud aliter atque pestis, primùm pedes
& suras pertentat atque inflat, mox neruis horrido
frigore constrictis, oris halitum tetro odore inficit,
paulatimque ad vitales partes proserpens, breui tem-
pore totum hominem miserabilibus modis enecat.
Ameda arbor, nuci perquam similis, (alij Quaho-
iam vocant) sollicitè prouidente naturâ, præsentane-
um huic malo remedium affert, eius decoctum ex
aquâ propinatum, spatio trium aut quatuor dierum
plus profecerit, quàm totius Orientis aromata, me-
dicorum anxijis decretis trutinata. Ad extremum in-
gentis Hochelagæ fluminis tendentibus, Sancti Lau-
rentij sinus, & dextrâ leuâque Baccalarearum regio
occurrit, à multitudine piscium ex genere asellorum
sic dicta. Regio subitis terræ motibus, multâ grandine
perpetuâque tempestatibus infamis. Sebastianus Ga-
botus nomine Henrici Angliæ regis, hanc terræ par-
tē primus detexit, anno à nato Christo M.CCCCC.VII.
residuum Gaspar Corterealis Lusitanus, vt mox di-
cemus, aperuit. Vterque sui Regis nomine per inter-
curfantes

cursantes vsquam illis in partibus freti angustias, com-
 pendio ad Moluccas sibi viam promittebat, sed nus-
 quam respondente fortunâ, irrito conatu domum re-
 meantes, detectarum tantum à se terrarum famam,
 5 & algentis climatis intolerandum frigus retulere. Si-
 milis planè fuit fortuna Stephani Gomefij naucleri,
 qui anno à nato Christo M. CCCC. XXV. æmulus de-
 coris Ferdinandi Magellani, cuius ante triennium
 comes sociusque fuerat, impetratâ Cæsareo diploma-
 10 te nauigandi potestate, has quoque Septentrionales
 angustias inuestigauit, totumque hunc maris tractum
 enauigauit. Sed nihil hac suâ nauticâ expeditione pro-
 fecit, mancipijs tamen ex hac orâ abductis nauem
 impleuit, vnde tunc ingens ridendi iocandi que in aulâ
 15 occasio, nam ciuis quidam Caroniensis, qui abeun-
 tem Gomefium ad Garyophyllorum terras iter in-
 tendere, & redeuntem *Esclauos*, hoc est, mancipia
 aduexisse audiuerat, deceptus similitudine vocis, gau-
 dio præproperus, cum Gomefium *Clauos*, id est, Ga-
 20 ryophilla (viti receperat) aduexisse putaret, vt op-
 tati cursus lætus nuncijs regie largitatis donum aufer-
 ret, celeribus citisque equis ad aulam contendit, &
 Gomezium inuento freto, magnam aromatum a-
 bundantiam retulisse vulgavit, postmodum aduentu
 25 Gomefij errore comperto affatum risum est.

Stephani Go-
mesij nauiga-
tio.

Septentrionales
angustias.

Esclauos
mancipia.

Aa 2

TERRA

TERRA LABORATORIS, ET ESTOTILANDIA.

EX TREMA hæc Indicæ continentis pars, inuentione omnium fuit prima, quando 5 duobus penè sæculis, ante Lusitanorum & Castellanorum nauigationes, à Piscatoribus Frislandicis, tempestate huc eiectis, primitùs hanc terræ partem detectam, & postmodum circa annum M. CCC. XC. auspicijs Zichini Frislandiæ re- 10 gis, à Nicolao, & Antonio Zenis fratribus, patritijs Venetis, perlustratam, eorundem Zenorum relationibus constat; horum sagaci industriæ, quisquis es Geographiæ studiosus, debes, hanc Estotilandix & Septentrionalioris oceani, insularumque interia- 15 centium descriptionem: quæ beneficio Nicolai Zeni ex rectâ suprâdictorum Zenorum posteritate prognati, conseruata, extractaque ex hydrographica illorum membranâ, Ptolemæi tabulis addita est, vti refert Hieronymus Ruscellus in suis ad Ptolemæum 20 commentarijs. Secundum detectæ huius regionis decus tulit Iohannes Scolus Polonus, qui anno reparatæ salutis M. CCC. LXXVI. octoginta & sex annis à primâ eius lustratione nauigans vltra Noruegiam, Groenlandiam, Frislandiamque, Boreale hoc fre- 25 tum ingressus sub ipso Arctico circulo, ad Laboratoris hanc terram Estotilandiamque delatus est. Multo deinde tempore intentatum hoc nautis mansit littus, dum

Zenorum peregrinationes.

Iohannis scolus nauigatio.

dum algentis climatis gelu, aut infesti maris horrent
 procellas, haud satis dignum ob præmium. Sed post-
 quam Lusitani peragratis omnibus Africæ littoribus
 in Oriente, & Columbus Catholicorum regum no-
 mine, in Occidente nouas terras inuenère, obortâ in-
 ter Hispanos & Lusitanos contentione, cum pro se
 quisque certatim Moluccarum possessionem sui iuris
 facere contenderet, Gaspar Corterealis anno à nato
 Christo millesimo quingentesimo, quærens fretum
 10 quod compendio ad aromatum terras duceret, inue-
 nit fluuium, cui à multo frigore, præiacentibusque ni-
 uibus, *Neuado* nomen indidit. Sed ingentibus penè
 frigoribus subactus, ad meridiem cursum intendens,
 totum hunc terræ tractum ad Maluarum vsque pro-
 15 montorium detexit. Repetitâ deinde sequenti anno
 nauigatione, aquis haustus nusquam amplius com-
 paruit. Michaël Corterealis anno à nato Christo.
 M.CCCCC.II. dum fraterno amore fratrem quærit, ad
 eundem sinum nauigans, pariter & ipse perijt. Vas-
 20 quium Corterealem insanum quoque iter parantem,
 Emanuel Lusitaniæ rex retinuit. Sebastianus Gabo-
 tus anno millesimo quingentesimo septimo, cum no-
 mine Angliæ regis, per angustias septentrionales, ad
 Cathayam & Sinarum regionem iter intendisset,
 25 Baccalarum terras detexit, enauigatoque toto hoc
 Oceani tractu, cum ad sexagesimum septimum lati-
 tudinis gradum peruenisset, hybernis frigoribus præ-
 peditus multâque glacie impediende destinatæ nauiga-
 tionis

*Gasparis Cor-
 terealis nauig-
 ationes.*

*Michael Cor-
 terealis.*

*Sebastiani Ga-
 boti nauigatio.*

*Laboratoris
terra.*

tionis cursum in Angliam redijt. Cæterum Laboratoris hæc, Estorilandicæque ora, montibus aspera & syluis horrida, ingentium omnis generis ferarum multitudine abundat. Fama est Gryphos istis quoque in montibus reperiri. Indigenæ ingenio docili sunt, linguam & characteres habent peculiares. Firmâ præterea corporis constitutione fortes ac robusti, venatores sunt strenui: colore perhibentur esse subfusco, non propter impendentes æstuantis solis radios, sed aut nimio frigore, aut cute herbis infectâ: nam cutem hic quoque atratis coloribus barbarorum more depingunt, argenteasque bullas, aut inaures gestitant. Ferarum martrarumque pellibus vestiuntur, hyeme corpori obuersis villis; domos ligneas construunt, quas ferarum quoque pisciumque pellibus contegunt, piscibus ut plurimum victitant, quorum hic ingens captura. Auri has quoque feraces esse terras, quidam autumant, cuius rei fidem refellere non est animus: tamen hoc dicam, si qua ibi aurifodina fuisset operæ, non dubium, quin continuatis nauigationibus tota hæc ora petita, lustrata & penitus detecta foret. Nunc tamen, ultra prædictos Martinus Forbifferus, & Iohannes Davis Septentrionalia hæc littora tentarunt, quorum ille anno M. CCCCC. LXXX. hic anno M. CCCCC. LXXXV. M. CCCCC. LXXXVI. fretum ad Sinarum populos inquirens, irritâ nauigatione in Angliam reuersus est. Indos quondam tempestatibus in Sueuorum & Germaniæ littora

*Gaspard Cor-
tevalle
Gastone.*

*Michael Cor-
tevalle.*

*Sebasti-
an
Martinus for-
bifferus.
Iohannes Da-
uis.*

littora eiectos, superius ex Cornelij Nepotis, & Pomponij Melæ autoritate, Quinto Metello Celeri, Gallia tum proconsuli, à Sueuorum rege dono datos, non ex vltimis Orientis, aut Occidentis partibus, vti quibusdam visum est, sed ex hac Laboratoris Estouilandia aut vicinis terris venisse constanter teneo, mecumque sentiet quicumque climatis rationem, & præcedentia expendit. Paulus Iouius antiquis temporibus aliquoties ex his partibus in nostram Europam transmigrations factas, litandique humanis hostijs truculentum morem ex hoc orbe in Britanniam, atque inde in Galliam manasse putat: sed ego hoc vt parum vero simile, nunc in medio relinquam, ex ingenio suo quisque demat vel addat fidem.

FINIS.



ELENCHVS TABVLARVM.


- 1 **Orbis terrarum.**
- 2 **Australis terra & Chica.**
- 3 **Chili.**
- 4 **Plata.**
- 5 **Brasilia.**
- 6 **Peruvia.**
- 7 **Castilia Aurifera.**
- 8 **Residuum terra firmae sine Paria & Cubagua.**
- 9 **Hispaniola.**
- 10 **Cuba & Iamaica.**
- 11 **Fucatanaregio & Fionduca.**
- 12 **Hispania noua.**
- 13 **Noua Granata & California.**
- 14 **Amian & Quinua.**
- 15 **Comibas regio.**
- 16 **Florida.**
- 17 **Virginia.**
- 18 **Noua Francia & Canada.**
- 19 **Estotilandia & Laboratoris terra.**




VIRI
DE



VTRIVSQVE HEMISPHERII
DELINATIO.










1112

1112












PLATA
AMERICA
TROVITA
QUA

PARTI DE
OCCIDENTE









TISNADA.

BRASILIA.

OVIETACATES.

TOVPIAMBAVLTII.

MORPION.

TABAIARES.

MARCAIATES.

TROPICVS

CAPRICORNI.

MERIDIES.

SEPTENTRIO.

ORIENS.

34

345

350 6.

5

10

15

20


25


335


340

345

350







CASTILLA
ARAGON
CANTABRIA
LEON
GALICIA
MURCIA
VALENCIA
CEREA

1500


1500

CASTILIA
 AVRIFERA
 CVM
 VICINIS
 PROVIN-
 CIIS.




Nombre de Dios
 Panama
 Taboga
 Ys. de Perlas
 Golf. de S. Munda
 Carachic sue
 Cap. de Corrientes
 R. Primero
 Y. de las
 palmas
 Bonauentura
 C. Quemado
 Y. de Gorgona
 R. de bueltas
 Ys. del gallo
 P. et R. de Peru
 C. de S. Francisco
 C. de Pofao
 B. de S. Math.
 R. de S.
 Y. de Men.
 R. de S.
 La Magdalena
 R. de S. Juan


Y. de Armas
 Zamba
 Cartagena
 Cenu
 Santa D'vraha
 Montpox
 Rio grande
 Decarrare Rio
 Antiochia
 Ancerma
 Bogota
 Victoria
 Popayan
 Timana
 Pasto
 Villa viciosa
 C. de la Vela
 Porrete
 S. Marta
 Comochas
 R. de Bilomera
 R. de piedras
 Laguna de S. Las
 Venesuela
 Laguna de Venesuela
 Venezuela
 Merida
 Pamplon
 Marzquita
 Tunxa
 S. Fee
 Tocayma
 Cartago
 P. de Capne
 Buena
 Mogos
 Arriba
 Carasco
 Tarare
 G. de S. Roman
 G. de Carasco
 Maracumbo lago, alias
 de miftra Duenna
 REGNVM.
 REG-
 NVM.
 ANDALVSIAE NOVE PARS.















LIBRARY
MUSEUM



CUBA
 INSVLA
 ET
 JAMAICA





MEXICO

PROVINCIA DE YUCATAN

PROVINCIA DE GUATEMALA

PROVINCIA DE EL GUAYMAS

PROVINCIA DE EL QUICHU

PROVINCIA DE EL TOTONACAPAN

PROVINCIA DE EL VERACRUZ

PROVINCIA DE EL TABASCO

PROVINCIA DE EL CHIAPAS

PROVINCIA DE EL OAXACA

PROVINCIA DE EL PUEBLO VIEJO

PROVINCIA DE EL SAN CARLOS

PROVINCIA DE EL SAN JUAN

PROVINCIA DE EL SAN PEDRO

PROVINCIA DE EL SAN VICENTE

PROVINCIA DE EL SAN FELIX

PROVINCIA DE EL SAN ANTONIO

PROVINCIA DE EL SAN MIGUEL


PROVINCIA DE EL SAN GABRIEL

PROVINCIA DE EL SAN ANDRES


PROVINCIA DE EL SAN JERONIMO

PROVINCIA DE EL SAN DOMINGO










LIBRARY OF THE
MUSEUM OF THE
CITY OF BOSTON

1850

1850

1850

GRANATA NOVA ET CALIFORNIA.



GRANATA NOVA ET CALIFORNIA.

GRANA TA NOVA.


CALIFORNIA


MAR VERMEO

CALIFORNIA


OCEANVS OCCIDENTALIS SIVE PACIFICVM MARE vulgo DEL SUR

GALICIE NOVAE PARS












CONTRABA REGIO
CUM
VICINIS CONTRABAS










MAI 1911



NOVA FRINGIA

NORUMBEGA

ET

VIRGINIA

NOVA

Occid

NORUMBEGA
ET
VIRGINIA.

NOVÆ FRANCIAE PARS

Norumbega.



OCCIDENS.

ORIENS.


SEPTENTRIO

MERIDIES.



Arrolonda













ESTOTILANDIA
ET TABORATIS

CAPI & OCCIDENTALI
MONTIAGUILLI

ESTOTILANDIA
TERRA DE TABORADOR





61a 166e





707

CARTE

DE

PTOLEME

Observatorio de Marina

BIBLIOTECA

7859

2008